Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Julius Scheurl

Henrici Iulii Scheurl Helmstadiensis-Brunsvigii Opt. art. Magistri Dissertationum Politicarum Decas : Praemissa est Dissertatio Generalis de Studii Sapientiae dignitate ac praestantia

Lipsiae: Lipsiae: Wachsmannus: Ritzsch, 1628

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn769055974/phys_0001
DFG

~~Al. XVII 16~~
35. 16.

Jc-3206 1-3

Sum Alberti Wille
brandi Rost: Mag:
ao 1631 mense
septemb: Witeb:

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn769055974/phys_0002
DFG

Ex Testamento Willebrandiano.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0003
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0004
DFG

HENRICI JULII Scheurl
Helmstadiensis - Brunsvigii
Opt. art. Magistri

DISSERTATIONUM POLITICARUM DECAS.

Præmissa est

Dissertatio Generalis de Studii Sapientiæ dignitate ac præstantia.

LIPSIÆ,
Sumptibus Michaelis VVachsmanni.
Anno
M. DC. XXVIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0005
DFG

Serenissimo Principi
ac Domino,

Dn. FRIDERICO ULRICO,

Duci Brunsvicensi
& Lunæburgensi,

Domino suo Clementissimo.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0006
DFG

Sereniſsime Princeps,
Domine Clementiſ-
ſime, &c.

AQuo primum tempore aliquid ſapere ac ſeorſim à vulgo judicare cepi, ſemper ita exiſtimavi, multò eſſe optabilius conſequi virtutem ipſam ac eruditionem ſolidã, quàm nudam earundem opinionem. Itaq; cùm è Cœnobio Mariæ Vallenſi, ubi per integrum triennium Illuſtriſſimæ T. Celſitudinis ſumptibus, qui & in illius & aliarum ſcholarum Alumnos liberaliſsimè impenduntur, vixeram, ad Academiam patriam eorum juſſu atq; conſilio me conferrem, quibus ejus Gymnaſii demandata tum erat inſpectio, nihil mihi prius aut antiquius fuit, quàm ut eorum mihi favorem compararem, qui & ingenium

meum formare & judicium acuere possent. Sentiebam enim ut corpus, sic ipsum quoq; ingenium dexteritate magis quàm viribus pollens à naturâ mihi datum, aptum quidem ad omne bonum & salubre studium, sed ad Philosophiã præcipuè pronum, id est, eam disciplinam, quæ certis & modestis gradibus ad humanam felicitatem pergit. Neq; verò denegarunt ullâ mihi in re operam suam, qui ab Illustrissimâ T. Celsitudine isthic alebantur Professores eruditissimi, sed tanto amore, tamq; inæstimabili benevolentiâ, sive naturali quadam animorum inclinatione, sive in parentem meum etiam dudum mortalibus exemptum pietate (quippe qui ibidem per annos viginti quinq; integros Sacrosanctam Theologiã summâ dexteritate, ut omnes fatentur, & è cathedrâ & è suggestu docuerat) me prosecuti sunt, ut quia æquare ea verbis posse non spero, silentio opprimenda sint. Erat inter eos Cornelius Martini,

vir

virstupendæ prorsus eruditionis ac virtutis, & (audiat invidia ac fremat rumpaturq;) cuilibet antiquorum non impar, qui dum erat in vivis, non Illustrissimæ tantùm Juliæ, sed toti etiam Ducatui ornamentum conciliabat ac splendorem. Ejus in clientelam primo omnium receptus tantam Heroïs benevolentiam sum expertus, ut, si liberos habuisset, nihil inter me & quemlibet filiorum potuisset interesse. De Collegis ejus, quorum adhuc plerique sunt superstites, idem dicerem, nisi adulationis aliquid præ se ferre existimarem. Interea vitæ meæ ac studiorum ea fuit ratio, ut Collegii Philosophici Patres Amplissimi dignum me unanimi consensu judicarent, cui honores illos & privilegia omnia, quibus is ordo imperiali benignitate gaudet, in publicâ solennitate conferrent, quemq; bonarum artium Magistrum ac Philosophiæ Doctorem renunciarent. Id quod ipsum etiam præstitere XIII. KL. Octo-

bris, Anno M. DC. XXIV. interprete Viro Reverendo, Clarissimo atq; Excellentissimo Dn. Conrado Hornejo, Praside id temporis Collegii Spectatissimo, qui & ipse, sicuti semper ut filium me amavit, ita parentis loco meritò à me honoratur, & honorabitur donec vivam. A solenni isto actu cùm vix octiduum elapsum esset, Philosophiæ Naturalis explicationem Studiosæ juventuti Programmate publico promisi; neq; pauci fuêre, quibus, quod meâ operâ juvari se posse sperarent, non solum explicando, sed disputando etiam ad intimos naturæ recessus (ut mei quidem ferebat ingenii tenuitas) aditum feci. Post & Logicam eruditionis universæ vestibulum, & Philosophiam primam, & quæ Regina omnium est Politicam ita iisdem interpretatus sum, ut non ipse tantùm ego nonnihil de me sperare inciperem, sed Præceptores etiã Honoratissimi omnia sibi pollicerentur bona, Tantum ardo-

rem,

rem autoritas eorum animo ingenerabat, benevolentia alebat, gratia fovebat, ut nisi hoc egissem, dignus profectò, me judice, non fuissem, qui in tantâ hominum luce, in tanta doctissimorum virorum frequentia viverem. In eâ nimirum Academiâ cogitabam me agere, quæ liberalium omnium disciplinarum ipsiusq; adeò sapientiæ non diversorium Hospitiumvé, sed domicilium proprium sedesq; habebatur, & ā quâ inanem quemquam abire turpissimum esset. Quanquam de abitu nō cogitâssem quidem, nisi fata vel invitum fugâssent. Nam ut nihil inter mortales diuturnum, & si quid dulce se obtulerit, amaro mox fine concluditur: in medio eruditionis cursu constitutum pestilentia me abegit, abactum miles excluſit, excluſum diuturna τῆς εἰρήνης ἀ τῦ πολέμυ dubitatio huic loco affixit. Ubi hactenus eadem & alia, quæ in Illustrissimæ T. Celsitudinis Julia didici, ita alios doceo, ut magnum

mihi bonorum amorem, malorum autem (quibus displicere semper studui) non exiguam conciliaverim invidiam. Ceterum cum ex omnibus, quæ vel lecta mihi placuêre, vel audita, nihil penè altius insederit, tenacius inhæserit, & ad memoriam crebrius redierit, quã illud Senecæ: Non Scholæ tantùm sed vitæ etiam discendum esse: detrudi me passus sum denuo in hoc pistrinum, ut Politicam Auditoribus meis interpretarer, i.e. eam eruditionis partem, quæ ut Prudentiam pollicetur, ita sola eandem præstare & exhibere cultori suo potest. Hæc enim quid Civitas sit demonstrat, quot & quæ ejus formæ explicat; quid, cui conveniat sive expediat, quid obsit eidem, quidq; non solùm labefactet quamq; Reipublicæ formam, sed penitus etiam evertat, ex intimis Philosophiæ recessibus docet: denique non partem tantùm civitatis ac Reip. sed universam eam curat atq; administrat. Hujus exigua quædam Portiuncula est ea disciplina,

qua

quæ litigantibus in Rep. patrocinium præstat, atq; id suis consiliis cavet, ne cives in contractibus circumveniantur, aut dolis, captionibus, vel injuriis exponantur aliorum. Equidem magnopere errare existimo, quotquot ad Rerum gubernacula viam non prudentiâ, sed legum solarum cognitione stipati affectant, quâ instructi de summâ Republicâ sententiam in Curiâ ferre, aut legationes de rebus maximis obire non magis, suo quidem habitu possunt, quàm Medicus aut Mathematicus, aut quivis artifex alius. Etsi enim oriantur nonnunquam in Rep. ejusmodi etiam controversiæ, quæ in Jure ac Legibus positæ ex iisq; solis decidendæ sunt, non raræ tamen imò verò longè sunt frequentiores de rebus aliis, iisq; haud paullo gravioribus, quarum ne prima quidem rudimenta è legibus cunctis, nedum ex solo Romano jure hauriuntur. Hac fini Auditoribus, ut dixi, meis efflagitantibus id à me non mediocri studio (quod plerisq; eorum ad Remp.

olim sive gerendam sive juvandam sese pararent) hasce Dissertationes ex optimis quibusq; Civilis Prudentiæ consultis composui, quas Illustrissimo T. Celsitudinis Nomini dicare ut debui, ita lubens meritoq; volui. EJUS enim jure sunt non illæ tantùm studiorum meorum primitiæ, sed quicquid præterea in me est vel unquam erit industriæ, laboris, eruditionis. EJUS in Academia plerasq; didici, EJUS gloriæ, famæ, usibus omnia ab ineunte statim ætate unicè, post DEUM, destinavi: EI denicq; me ipsum deberi hæreditario quasi debito semper existimavi. Nomen meum ejus rei me admonet, quod REVERENDISSIMUS ATQUE ILLUSTRISSIMUS T. Celsitudinis PARENS Heroum omnium, quotquot Marte Musisq; claruére, celeberrimus, imò omni celebritate major, omnicq; laude superior de suo nomine ut Propater mihi, quamvis indigno, Clementissimè ad Sacrum Baptismatis fontem imposuit. Quo satis superq;

testa-

testatus est, quanta clementia Parentem meum Sacrosanctæ Theologiæ in Illustri Julia, dum viveret, Professorem ac generalem Superintendentem fuerit prosecutus. Quamvis documentis longè gravioribus demonstrare idem liceret, nisi jam tum Epistolæ Cancellos essem egressus. Meum est, tanto tanti Heroïs nomine me dignum gerere, & Illustrissimæ T. Celsitudini in gratæ mentis obsequium omnia mea, imò me ipsum, quantus sum, offerre, negq; unquam Ei humillimè servire desinere, nisi ego ante desiero. DEUS Opt. Max. Illustrissimam T. Celsitudinem universæ patriæ spem unicam ac solidissimam conservet ac tueatur, ut ejus auspiciis melior mitiorq; tandem omnibus affulgeat fortuna. Lipsiâ ipsis KL. Maij. Anno M. DC. XXVIII.

Illustrissimæ T. Celsitudini

Subjectissimus

M. Henricus Julius Scheurl
Helmstad. Brunsvigius.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0015
DFG

Lectori Benevolo S.

SUbit animum meum indignatio multa & aſſera, benevole Lector, quotieſcunq; recordor eò vilitatis hac tempeſtate ſcientias deveniſſe, ut mercenariæ ſint omnes, & non niſi ab utilitate commendentur, præſtantiſſimaq; judicetur illa, quæ magis eſt, (da veniam ut communi verbo loquar) quæ magis eſt inquam de pane lucrando. Unde illotis, quod dicitur, manibus non pauci hodiè ſuperiores diſciplinas involant & neglectis fundamentis (ad vulpeculas enim ſcholaſticas ea pertinere dicunt) tecta turresq; moliuntur. Itaq; vel ex viginti aut pluribus, ut vocant, Poſtillis conciunculam conſcribere, exſcribere & habere diſcunt; vel è libello quodam Notariatus Juriſconſultos ſeſe evadere poſſe

posse sperant; vel Herbario quodam obiter perlecto Hippocratis sibi sapientiam pollicentur. Quibus postea parentes avarissimi, nolentes sobolem in studiis multos annos sumere; Heus fili, inquiunt, annulos sume & pollicem iis indue: ne nesciant cives te talem. Adeò scilicet verum est hoc nostro seculo Petronii illud: Totum ferè mundum exercere Histrioniam. Veri Theologi, docti Jurisconsulti, eruditi Medici, ut generosi Caballi, ridere solent hos catellos, & in oculis semper ac mente gerere venerandam antiquitatem, tot magna nomina, tot illustres animas, quæ sapientiæ studia reliquorum omnium fundamenta passim in eruditissimis suis monumentis perhibent. Pythagoræi, ob quod eos non æstimo, sed veneror, suos voluerunt benè sentire, purè loqui & rectè facere; quæ omnia magnam partem è Philosophia discuntur. Ea enim non est populare artificium aut ostentatio-

ni paratum: non in verbis, sed in rebus est, nec in hoc adhibetur, ut aliquâ oblectatione dies consumatur, ut dematur otio nausea; sed animum format & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & omittenda demonstrat, sedet ad gubernaculum & per ancipitia fluctuantium dirigit cursum: sine hac nemo securus est: innumerabilia accidunt singulis horis, quæ consilium exigunt, quod ab hac petendum est, ait Romanorum sapientissimus. Quod cum in universam Philosophiam, quantò magis in eam quadrabit, quæ Architectonica rectissimè dicitur, & ceteris omnibus ut Regina ac Princeps præest, leges q; præscribit? Ut ita frustra sit contra eos disputare hoc loco velle, qui nostra hæc, quæ nunc Tibi damus & quibus nonnihil dediti fuimus, studia, ut inutilia traducunt, ut supervacua contemnunt, ut inferiora, reliquis omnibus judicio plus quàm anserino postponunt. Ipse enim, mi Lector,

ctor, adhibito rationis molortho mihi pensita, quanta sit non dico stoliditas, sed insania, inutilem vocare eam disciplinam, cui omnia regna debent, quod consistant, cui cives omnes quod bene vivant, cui ipsi denique ejus contemtores, quod in hominum censu numerentur & ut advenæ inter eos permittantur degere, qui soli Quirites Reipublicæ Rationalium appellari meritò debebant? Quid magis esse potest ridiculum, quàm supervacuam statuere eam disciplinam, quæ reliquarum est Domina, Regina, moderatrix? Quæ sola culmen illud eruditionis humanæ, Prudentiam dico, cultori suo præstat: quam ex aliis disciplinis eodem successu speraveris, quo ex pumice aquam aut quernis liquorem alium. Neque verò ideo aliorum studia contemnimus: quod qui dicat, mentem nostram non satis assequitur: aut optimos sensus malitiosè, contra opinionem nostram, contraque verum æquumque &

bo-

bonum interpretatur, id est, si verum fateri non piget, calumniatur. Tantum alios aliarum disciplinarum fines esse dicimus, adeoq; errare pronunciamus, qui prudentiam aliunde sperant, quàm ex ea eruditionis parte, quæ propriam sibi illius possessionem vendicat. Majora sanè aut alia quàm de se disciplina aliqua pollicetur, ab eâ postulare iniquum, expectare stolidum, polliceri aliis vanum & nugatorium est. Et faciunt tamen hoc, quotquot accuratam eruditionem ac solidam vel ipsi spernunt, vel aliis exosam reddunt, vel circumcisam & amputatam aliquam sine apparatu, sine honore, sine ingenuitate, quasi unam ex sordidissimis artificiis discunt. Veram enim illam vel iniqua ipsis invidit fortuna, vel propria (ecce tibi oraculum) segnities ac negligentia. Itaq; quod vulpecula, cùm caudâ mulctata esset, apud Æsopum suis similibus persuadere conabatur, id simili planè modo

modo istud eruditorum vulgus facit, quod nescio quâ pultus gravitate, & autoritatis exemplorumq; pondere damnare non erubescit, quicquid nec didicit unquam, nec doceri ob cerebelli sive penuriam, sive nimietatem potuit. Rectissimè igitur Ptolomæus: Solet fieri, inquit, ut quicquid pauci assequi possint, id in multorum reprehensionem incurrat. Neq; enim patitur noctua lucem, plusq; asinus stramina quàm aurum optat. Vivant ergo suis moribus & vulgaribus delectentur illi; tu mecum, Lector, ad hanc Reginam contende: habeant illos humilia, nos sublimia sectabimur; illos humi repentia, nos in altum elevata; illos ante pedes posita, nos ardua & à pituitosis hominibus remota juvabunt. Sed quid ego ad te talia, cum nullum alium te sperem, quàm vel eruditum, vel eruditionis mecum amantem? Etenim quæ ex Optimis quibusq; autoribus de præsenti materiâ collegi,

pu-

publico omnium judicio submitto; judicium autem non cadere in eos arbitror, quibus id non magis est cultum, quàm cuivis è rusticorum manipulis. Interim neminem à nobis tangi existimabis, nisi execrandum illum gregem, qui nec Charisin litat, nec Musis, & omnia tamen, quæ non capit, carpit. Quæ hîc tibi damus, si talis es, qualem te salutavimus, amabis, si doctus, ita dijudicabis, ut quæ nigrum & merentur, jugules, quæ cum verâ conveniunt ratione, approbes & tui patrocinii igne foveas. Unum restat, de quo mihi monendus videris, ne mihi injuriam facias, tibi aut conscientiæ tuæ contrahas culpam. Satyram me scripsisse nonnulli non Dissertationes dicunt; scilicet magnum mihi crimen & vix morte piandum intentant. Utinam verò ea esset ingenii mei felicitas, ut sim cum Persio

— pallentes radere mores
Doctus, & ingenuo culpam
defigere ludo.

Adeò

Adeò namq; cum nequitia stupor hoc seculo invaluit, ut si spectator adhuc in orbe hinc Democritus aliquis, illinc Heraclitus sederet, nunquam illi quod rideret, huic quod defleret, deesset. Verum non licet mihi esse tam beato, ἀλλ' ἀγροῖκός εἰμι, verum didici fabulariter, & scapham plerumq; etiam hisce in Dissertationibus appello scapham. Tu vale, & à me meliora posthac expecta, eos autem curare me nihil scito, qui etiam optimè dicta detorquent in calumniam & sinistris interpretationibus aliorsum trahunt, quàm ab Autore proferuntur. Vale iterum, & si mereor, aut studeo, me amare incipe, perge, non desiste. Ita, quæ herbulæ nunc sunt in hisce literis, poterunt tandem aliquando ἐνδραμεῖν.

T. quantus est

M. H. J. S.

In

In Politicam

Eximii & literatißimi Viri

Dn. M. HEINRICI JULII Scheurl/ Helmstad. Saxonis, Philosophi Præstantissimi.

HActenus emensa est veteris spacia ampla Lycéi
Nostra juventa, tuo ducta Magisterio:
Nunc *socia* pandens *vitæ* compendia, monstras,
Quo res communis stetq; cadatq; modo.
Nempe Professoris sunt hæc documenta futuri,
Qui benè de studiis promeruisse queat.
Hinc & honorificis *Academia Julia* punctis
Te vocat, ut doceas scita reperta Sophi,
Cùm Bellona suo cessârit fessa tumultu,
Et pax Musæos foverit alma lares.
Restat ut, exemplo Patris, ad Sionis honorem
Hoc referas Sophies omne ministerium.

Lipsiæ

F.

Heinricus Höpffnerus, S. Th. D. & Professor publicus.

ALIUD.

ALIUD.

Dum Scheurline finis tua scripta Politica lucem
Cernere, moliris nobile laudis opus.
Expoliensq; alios illis, simul ipse politum
Ostendis doctis ingenium & genium.
Hinc ob utrumq; reor, vel quovis judice, dignum hunc
Laude & amore librum, laude & amore virum.

Christianus Franckenstein
J. U. D.

ALIUD.

Miretur vulgus, quei quis concinnaverit ingens
Plin. l. 7. N. H. C. 21.
Arctâ Smyrnæi sub nuce Vatis opus.
Miror ego; exhibeat quei Scheurl, Tibi, Lector, in arcto
Civilis-Sophiæ dogmata clausa libro!

Convictori & amico suo longè dilectissimo f.

Johannes Heintzius D.

ALIUD.

ALIUD.

Quæ scripsêre Sophi-Civiles lemmata; quotquot
Extant illorum tradita scripta typis;
Hæc modo Scheurliades mirâ brevitate coegit;
Immò stare, bonâ non nisi laude, facit!
Hinc quis sit, loquitur præsens hæc scriptio, testis
Ingenii dexteri, judiciiq; gravis.
Præmia Scheurliadæ surgentes ponite Musæ!
Eja! manet vestræ firma columna domus.

Philosopho acutissimo, Domino atq; amico suo colendo f.

M. Andreas Bauer *Cizâ-Misnicus, SS. Theol. Baccal. Lipsiæ ad D. Nicol. Diaconus.*

ALIUD.

Quid sit, quîq; regi Respublica debeat aptè;
Cujusvis quod sit Civis & officium;
Egregiè ostendis, *Scheurline* polite *Magister*:
Dignus es hinc, dignum ut fructum aliquando feras.

Ad Politissimum Eruditissimumq; horum discursuum autorem scribebat

M. Zacharias Schneider/ Practicæ Philosophiæ in Academiâ Lipsiensi Professor Publ.

ALIUD.

Aliud.

Est aliquid sermonis opes surgentibus annis
Condere, quas olim callida lingua sonet.
Ingenio strictos rationis solvere nodos,
Flectere corda sono, pars bona laudis erit.
Solis iter, cursus, astrorum maxima mundi
Lumina perpetuis nosse rotata modis.
Igne calere diu, post dulci rore madere
Naturæ tacitas sollicitare fibras.
Est aliquid fateor: sed mundum lege tenere,
Et sævos motus frangere posse gregis.
Hoc opus, hic labor est: hoc unus Jupiter audet,
Et queis sceptra manu, aut mente parare dedit.
Clara Deûm soboles illa est, doctrina Polita
Quæ facit exæquet se quoq; terra polo.
Hæc sacras leges, quibus & Respublica surgat,
Condit, queis concors urbis & orbis amor.
Hâc sine non Divi, non curia salva futura,
Naufraga quaq; domus mox sine dote jacet.
Possidet has dotes Diva hæc, si fortè requiras,
Has spondet, quisquis ducere poscis, opes.
Sed jam summa dies, & ineluctabile fatum
Fermè ad interitum te populisse tuum
Tentat; dum sævus mutabat cladibus urbes
Mars hauritq; domos, omnia cæde premit.

Unde

Unde autem Regina hominum (res mira) Deorum
Proles, quod clarus fulget ab ore decor?
Florabas nuper tot gnatas, flore peremptо,
Jam funus cogitans ipsa parare tibi.
Rides nunc iterum, & claros miraris honores,
Pallida quæ nuper, nunc rediviva rubes.
En tibi Scheurleum multo discrimine notum
Fatur, is Appelles, doctus Apollo, fuit.
Jupiter adplausit, quod ubiq; Deûmq; Dearumq;
Alma Venus limo lumine risit opus.
Ibat in amplexus roseis furtiva labellis
Oscula figit ovans, nata sororq; Dei.
Quam grata tibi est mea mens hoc omine lato,
Hîcce nec officii nescius ipse mei.
Sic orsus: Pupilla mea hoc tu fidere perge
Ardua sit πθλεως, sed mage cura poli.
Qui πθλιν atq; polum celso moderamine torquet
Te ferat ἐκ πόλεως, ἄεὶ πολίτευμα poli.

Ita vovet amico suo immortali

M. Johannes Fromholdt.

DISSER-

DISSERTATIO GENERALIS, De STUDII SAPIENTIÆ DIGNITATE AC PRÆSTANTIA.

Respondente

JOHANNE VVICHMANNO
Gedanens. Borusso.

Aphor. I.

SItantus esset sapientum numerus, quantus est Sapientiæ Professorum, melius cum Republicâ literariâ ageretur, neque pro veræ virtutis præmiis falsi sceleris subirent

Sapientia fucata noxia.

pœnam, qui in literis rectè & ordine, hoc est, seorsim à vulgo sentiunt: nunc, cùm sibi semper mentiens imprudentia rerum merita immutare prorsus non possit, & tamen videat, nihil facilius hominibus imponere, quàm externam speciem (qua plerique; plerumque tantum ducuntur) omnes ferè mundi angulos sapientibus replere conatur, sed falsis fucatisq;, & quorum non pauci præter barbam & pallium nihil sapiente dignum ferunt.

Multi lucrum potius quàm eruditionē quærunt.

II. Quotusquisque hodie est, qui non fines studiorum accidentales (honores, gloriā, opes, amicos, autoritatem) primarios efficiat, seu ut Principales spectet? Plerique; discunt non tàm ut docti, quàm ut divites inde evadant; & quò quæ

di-

disciplina plus lucri afferre potest, eò plures sui cultores invenit. Unde fit, ut solidæ eruditioni à multis præponatur splendentis portiuncula luti, quod si in terræ visceribus delituisset, non suppeterent tot vitiorum alimenta, instrumentumq; ad perturbandam animi tranquillitatem deesset. Ut meritò jam olim exclamaverit Christianorum Philosophorum doctissimus:

Heu! quis primus fuit ille
Auri qui pondera tecti
Gemmæq; latere volentes
Pretiosa pericula fodit.

l. 2. Conf. Phil. m. 5.

III. Sed ab ejusmodi hominibus, utpote solo φιλαργυρίας vitio excæcatis non adeò magnũ imminet periculum rei literariæ. Conflictatur ea alio & quidem insanabili ferè mor-

Alii hanc prorsus sternunt.

bo, qui lento & certo passu dúcit ad fatalem metam. Is ab iis ei infertur, apud quos non vilia tantùm, sed & exosa sunt aceuratioris solidiorisque studia eruditionis, quibusq; hoc ipso affines fuisse maleficio videntur, qui rectius aliquanto instituti sunt, quod Philosophorum imbuti disciplinis eorumque instituti sint moribus, ut loquitur, quem jam laudavimus, Boethius *l. 1 Cons. Phil. pr. 4.* Et horum tamen quamvis numerosus sit exercitus, spernendus est ab homine cordato, cùm nullo duce regatur, sed errore tantùm temerè ac passim titubante raptetur.

Enthusiastæ.

IV. Familiam in his ducunt, qui minimè minima sunt fundi literarii calamitas, Enthusiastæ, Quemadmodum enim

enim venena vino mixta pernicius pernicioſiusque graſſantur, ita & ipſi plauſibili virtutis ac ſanctimoniæ prætextu fucum faciunt imperitis, dum & ſe Philoſophiæ quidem operam dediſſe eamque maximi antehac feciſſe fatentur & eam nihilominus ut inutilem, imò ſacris literis contrariam officientemq; pietati traducunt ac è manibus Chriſtianæ juventutis prorſus excuſſum eunt. Hac fini contra hanc eruditionis partem non è ſcripturis tantùm, ſed & antiquis Eccleſiæ Doctoribus neſcio quos floſculos vel omnino non, vel malè ſaltem intellectos corradunt, qui ſi rectè intelligerentur, luce meridianâ clarius eſſet, nec Philoſophos iſtos, de quibus vel Scripturæ, vel S. Patribus ſermo eſt, cum

Philoſophiam Theologiæ contrariam eſſe ſomniant.

Citant Scripturam & Patres Eccleſiæ.

Sed ſtolidè.

veris Philosophis, nec Philosophiam illam cum genuinâ Philosophiâ quidquam, nisi nomen commune habere: id quod in progressu dabimus manifestum.

Rectius sapit antiquitas.

V. Gratulantur sibi meritò istæ Academiæ, quæ hactenus sartam tectam servant veram, solidam, nervosam, hoc est, Peripateticam Philosophiam, nec passæ sunt unquã aut adhuc patiuntur eorum sibi nugas obtrudi, *qui heri* aut nudiustertius Philosophi per insomnia facti, totam antiquitatem præ se stultam fuisse, saltem parum intellexisse dicere non verentur. Quod ipsũ satis causæ esse arbitror, cur nos de hac materia aliquid proponamus, quippe qui ex Platone nefas esse didicerimus, vel occuluisse veritatem, vel concessisse mendacium.

VI. Ex-

VI. Exponam itaque, sed breviter, non quid sit Philosophia, quaſvè partes habeat; id enim antehac à me factum; neq; qua ratione à primis humani generis parentibus ad noſtra uſque tempora fuerit propagata, cùm animus mihi sit longiore orationis filo ejuſmodi hiſtoriam texere; ſed hoc ſolum agam, ut quanta ſit hujus ſtudii dignitas, ex ipſis quaſi naturæ principiis adverſus eos demonſtretur, *Qui*, ut Ariſtoteles de Sophiſtis loquitur *Cap. 2. Elen. videri potius lucri & ambitionis gratia, quàm eſſe docti volunt.* *Dignitas Philoſophiæ demonſtratur.*

VII. Enimvero illud tantoperè à priſcis celebratum oraculum NOSCE TEIPSUM hîc præcipuè maximeque locum ac vim habet, quo penſiculatius conſiderato dignitas

hujus disciplinæ, (ex qua etiã omnes aliæ tanquam ex fonte deducuntur, exceptâ solâ omnium reginâ SS. Theologiâ, quæ ut est supernaturalis & divina, ita reliquas infinito spacio post se relinquit) satis innotescet.

Οὐ μὲν γάρ τι πῃ ἐστὶν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς
Πάντων ὅσσα τε γαῖαν ὀπιπνείουτε καὶ ἕρπει.

ait Poëtarum princeps *l.* 17. Ἰλιάδ: quibus verbis nullum ærumnosius nobis animalium genus esse docet. Idque non ideo tantùm verum esse videtur, *Quod*, ut Cicero loquitur, *eâ nascamur lege, ut omnibus fortunæ telis proposita sit vita nostra*, *quodvé*, ut Batho dicebat, *monstrum sit perpetua in vita felicitas*; (ἐν δὲ τῷ βίῳ τέρας ἐστὶν εἴ τις εὐδόκησε διὰ βίου) Sed ideo præcipuè, quod ipsâ cor-

corporis constitutione, atque iis rebus, quæ ad animalium naturam propriè spectant, reliquis animantibus longè inferiores esse videamur.

VIII. Sensuum sanè exteriorum perfectionem quod attinet, acutior aquilæ est visus; acrior vulpi & talpæ auditus; sagacior olfactus cani; gallinæ exquisitior gustus, quæ sine succi expressione digna indignavè sentit, ut vel esitet vel respuat, quæ rostro vel levissimè tetigerit; quin & tactu omnium sensuum fundamento limaces ac ostreas homine superiores esse putat Scaliger adversus Cardanum *exerc. 247.* *Homo brutis inferior ratione sensuum.*

IX. Porro corporis robore tauris, proceritate elephantis, longævitate corvis, velocitate tigribus homo cedit; ne nunc dicam, quod, cùm corpora *Et virium corporis.*

brutorum naturalibus sunt operta tegumentis, vel pilis, vel coriis, vel testis, vel squamis, naturalibus item instructa armis præsidiisque, cornibus nempe, unguibus, dentibus, spinis, aculeis; Soli homini corpus nudum & inerme, & ad oppugnandum æquè ac propugnandum imbecillum & invalidum sit datum.

Superior eisdem evadit ratione.

X. Ex quibus omnibus deducitur, hominem ceteris animantibus non tantùm non superiorem, sed & ne parem quidem esse, nisi aliud aliquid in eo reperire sit, quo suprà dicti defectus vel corrigantur, vel resarciantur. Iraq; omnium eorum vice, quæ naturaliter homo non habet, habent autem animalia reliqua, DEUS homini duas res dedit RATIONEM nempe & MANUS, ut per il-

illam omnia, quæ sibi ex usu futura essent excogitare & invenire, per has conficere eadem sibiq́ue comparare facile posset. Etsi igitur corpore quidem usq; adeò non præstemus brutorum generi, ut omnibus ejus dotibus ferè inferiores inveniamur; secundum animam tamen adeò divinitatis sumus capaces, ut ipsas etiam angelicas mentes liceat prætervolare, & unum cum Deo fieri. Unde Philosophus ille, *si tibi*, inquit, *corpus additum non fuisset, numen eras; si mens ista non fuisset indita, eras pecus.*

XI. Quamobrem rectissimè Romanorum Sapientissimus *l. 2. de benef. cap. 29:* Ut probat Seneca.

Quisquis es, inquit, *iniquus æstimator sortis humanæ, cogita, quanta nobis tribuerit parens noster, quanto valentiora animalia sub jugum miserimus, quan-*

to velociora consequamur, quam nihil sit mortale non sub nutu nostro positum. Tot virtutes accepimus, tot artes, ANIMUM denique, cui nihil non eodem quo intendit momento pervium est, sideribus velociorem, quorum post multa secula futuros cursus antecedit. Hæc ille.

Lactantius.

XII. Quibus consona tradit Lactantius in *lib. de opificio Dei. c. 2.* cujus aliquot verba cum sententiarum gravitate verborumq; elegantiâ superioribus non cedant, facere non possum, quin adscribam: *Dedit*, inquit, *homini artifex ille noster ac parens* DEUS *sensum atq; RATIONEM, ut ex eo appareret, nos ab eo esse generatos qui ipse sensus ac ratio est. Ceteris animantibus quoniam rationalem istam vitam non attribuit, quemadmodum tamen vita eorum tutior esset ante providit. Omnes enim suis ex se pellibus texit,*

quo

quo facilius posſint vim pruinarum ac frigora sustinere. Singulis autem generibus ad propulsandos impetus externos sua propria munimenta constituit: ut aut naturalibus telis repugnent fortioribus, aut quæ sunt imbecilliora, subtrahant se periculis pernicitate fugiendi: aut quæ simul & viribus & celeritate indigent, æstu se protegant & latibulis sepiant. Itaq; alia eorum vel plumis levibus in sublime suspensa sunt, vel suffulta ungulis, vel instructa cornibus: quibusdam in ore arma sunt dentes, aut in pedibus adunci ungues, nullicui munimentum ad tutelam sui deest. Si qua verò in prædam majoribus cedunt, ne tamen stirps eorum funditus interiret, aut in eam sunt relegata regionem, ubi majora esse non posſunt, aut acceperunt uberem generandi fœcunditatem; at & bestiis, quæ sanguine aluntur, victus suppeteret ex illis, & illatam tamen cladem ad conservationem

generis multitudo ipsa superaret. Hominem autem RATIONE concessâ & virtute sentiendi atq; eloquendi datâ, eorum quæ ceteris animantibus attributa sunt, fecit expertem. Et quia SAPIENTIA reddere poterat, quæ illis naturæ conditio denegasset, statuit nudum & inermem, quia & INGENIO poterat armari & RATIONE vestiri. Reliqua ob angustiam chartarum non adscribam, videbit ea loco cit. æquus lector, & animadvertet, Lactantium, si nihil extra hæc reliquisset, omnium tamen stupore ob eloquentiam prorsus Tullianam dignum esse.

Per rationem homo est homo.

XIII. RATIO itaq;, ratio inquam, & quicquid rationem sequitur, hoc præstat, ut homo sit homo, i. e., ut non species tantùm quædam rerum naturalium sit, quemadmodum variæ sunt stirpium & animalium

lium ſpecies, ſed ut principalis quidã ſit naturæ gradus. Sunt enim, ut notum eſt, tres præcipui gradus naturæ. Unus quidem *Primus* ac ſummus, qui res penitus incorporeas continet: *Secundus* infimus, qui rebus tantùm corporeis conſtat. *Tertius* medium dignitatis locum tenens ex utroque miſtus & quaſi temperatus, quem unus duntaxat homo & conſtituit & implet. Unde & vinculum, ligamen ac nexus univerſi appellatur, quòd in eo res incorporeæ cum corporeis & immortales cum mortalibus ſocientur inter ſe ac conjungantur.

Et principalis quidam naturæ gradus.

1.

2.

3.

Nexus univerſi.

XIV. Dedit porro Rationem illam nobis non Angelus aliquis aut alia creatura, ſed, ut ſuprà loquebatur Lactantius, *artifex ille noſter ac parens* DEUS,

Ratio à Deo eſt.

DEUS, & quidem ideò, ut exinde appareret, nos ab eo esse generatos, qui ipse sensus ac ratio est. Idque nec Cicero, quamvis Ethnicus ignoravit, qui *lib. 1. de ll.* *Hoc*, inquit, *animal, providum, sagax, multiplex, memor, plenum rationis & consilii, quem vocamus hominem præclarâ quadam conditione à supremo DEO est generatum.* Et summi Philosophi summus præceptor Plato in Alcibiade & Phædone idem animadvertens, illam similitudinem humani animi cum DEO ejusdem datore validissimum argumentum ad probandam ejus immortalitatem esse docet. Quæ quidē (quod obiter observo) hominis & DEI similitudo secundum interpretes Platonis in quinque potissimum rebus consistit: 1. In quadam infinitâ capacitate men-

Similitudinem quandam DEI præfert.

Quæ in quinq; consistit rebus.

1.

mentis, quæ habilis & idonea
est ad cognoscendas res o-
mnes. Etenim intelligens actu
& intelligibile actu, auctore
Aristotele. *l. 3. de anim.* unum
sunt, quapropter idem Philo-
sophus animam nostram quo-
dammodo omnia esse docet.
2. In appetitu nostræ voluntatis tam infinito, ut nullo bono nisi infinito, DEO videlicet, omnino satiari possit & expleri. 3. In infinita illa, ut in scholis loquuntur, indeterminatione voluntatis ad quælibet particularia & finita bona. 4. In quadam naturali cupiditate æternitatis, quam sibi animus expetit. 5. Denique in eo quod, sicut in DEO omnia sunt eminenter & caussaliter, ita sunt in homine quodammodo omnia, tum per participationem (habet enim com-

2.

3.

4.

5.

mu-

munem cum rebus inanimatis existentiam, cum stirpibus vitam, cum animalibus sensum & motum, cum DEO & angelis mentem & intelligentiam) tum etiam propter intellectionem, ut jam antè dictum est.

Quid hoc per similitudinem DEI intelligatur.

XV. Nec quisquam hîc tam absurdos nos aut impios existimet, ut per similitudinem illam hominis cum DEO eam intelligamus imaginem, quæ fuit in primis nostris parentibus supernaturalis & peculiari dono concessa justitia, innocentia & integritas: nempe in intellectu supernaturalis cognitio essentiæ & voluntatis divinæ, in voluntate summum ad bonum cognitum inclinatio; in appetitu supernaturalis & summa cum ratione concordia; Eam enim per lapsum amis-

amissam esse non tantum experientia, sed omnes ferè sacrarum literarum paginæ testantur. Intelligimus itaq; hoc loco naturalem illam imaginem sive dona naturalia, quæ etsi valdè debilitata, non tamen prorsus sunt deperdita, nisi quis ipsam naturam hominis per lapsum amissam esse statuat, quo nihil possit esse magis ridiculum. Neq; enim ita deformata sunt hæc omnia in *homine*, quin adhuc quædam eorum vestigia, nempe sensus aliquis divinitatis, & semita quædam honestatis civilisq; justitiæ superstint. Quod Ethnicorum sapientum scripta testantur, qui multa de DEO per triplicem illam viã, nempe, 1. Eminentiæ, 2. Negationis, & 3. Causalitatis cognoverunt; ita ut nonnulli

etiam

etiam eorum verum DEI cultum in ſtudio juſtitiæ, puritatis & modeſtiæ collocarent, quemadmodum videri poteſt ex Epiſtolâ Longiniani Ethnici ad Auguſtinum ſcripta, quæ inter hujus Epiſtolas num. 19. eſt.

Autor Philoſophiæ DEUS.

XVI. Habemus adhuc rationem, quæ ſola ſpecifica forma hominis eſt, & quidem à ſolo DEO eam habemus, qui ſicut omnium bonorum, ita & hujus maximi boni autor & largitor eſt, adeoque etiam totius ſapientiæ humanæ inventor, cum nihil ſit certius, quàm eum, qui formam largitur, largiri etiam ea, quæ formam conſequuntur. Non eſt ſilentio involvendum hoc loco egregium illud dictum, quod legitur *Sap. 7. verſ. 17.* Ubi ita de DEO loquitur Sapiens: *Ipſe dedit*

dit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum & virtutes elementorum: initium & consummationem & mediatatem temporum: vicissitudinum permutationes & consummationes temporum: morum mutationes & divisiones temporum, anni cursus & stellarum dispositiones: naturas animalium & iras bestiarum, vim ventorum & cogitationes hominum, differentias virgultorum & virtutes radicum, &c. En bone lector autorem hujus studii totiusque adeò bonæ eruditionis, cujus nulla ferè pars est, quin hoc loco nominetur. Atque ita ex ipsis naturæ principiis dignitas Philosophiæ demonstrari potest, ut mirum sit tantopere eam apud nonnullos vapulare, etiam illos, qui inter doctos nomina sua profitentur.

XVII. Non nego apud multos

Non contemnitur à Patribus.

tos Ecclesię Doctores, Tertullianum, Eusebium, Epiphanium, Ambrosium, Gregorium Nyssenum, Hieronymum, ipsum etiam Augustinum Philosophum aliâs accuratissimum plurimas in Philosophos invectivas reperiri, sed an ideò ipsa Philosophia sit damnanda, &, ut quidam inde concludunt, futuro Theologo prorsus fugienda, dubitavi semper & adhuc dubito maximè. Et 1. quidem, si quis observaverit, quænã Philosophia tum temporis fuerit, & qui Philosophi, cum ista scriberentur, tam clarum erit, ut Sol in ipsa meridie, cum sudum est, esse solet, longè aliud esse, quod patres reprehendunt, quàm de quo hodie nostra hæc est controversia. Nam quod inde à literis primum inventis semper usu

ſu veniſſe ſcimus, ut ſapientiam pauci colerent, plurimi ſimularent, quemadmodum etiam omnes pietatem plerumq; præ ſe ferunt, rariſsimi curant; idem tum temporis tanto ſtudio factum fuit, cum Eccleſia adverſus paganos adhuc decertaret, ut inter centum ſapientiam profeſſos vix unus reperiretur ac alter, quin purus putus eſſet Sophiſta. Legat qui volet hac de re Clementem Alex. *qui l. 1. Stromat.* ſui temporis hoſtium Eccleſiæ ſapientiam Eriſticam & Sophiſticam vocat, talemq; , quæ quidem illi præditi erant, à Platone κακοτεχνίαν, ab Ariſtotele καπηλικὴν ſeu deceptoriam appellatam eſſe docet. Auguſtini etiam temporibus quales ſapientes fuerint, ex ſcriptis ejus eruditiſsimis quivis animad-

Aliud philoſophia, aliud Sophiſtica.

advertet, exertè autem *l. 1. Con. Crescon. c. 15. & l. 2. de Doct. Christ. c. 31. & 34.* Quid mirum itaque, si ejusmodi Philosophi à patribus damnantur, si patroni hæresiarcharum vocantur? Cum, qui tales sunt, etiam hodiè meritò contemnendos imò nihili faciendos esse quivis cordatus intelligat.

Veram Philosophiam patres commendant.

XVIII. Quod autem 2. non omnis Philosophia, sed Sophistica tantum illa, de qua diximus, à S. Patribus contemnatur, inde probo: quia iidem illi, qui superius citati sunt & præter eos etiam alii veram & germanam Philosophiam nō tantum non repudiant, sed etjam magnopere laudant, imò ut Theologo utilissimā commendant. Unus instar omnium sit Clemens Alexandrinus, cujus l. c. hæc sunt verba: *Equidem*

Clemens Alexandrinus.

dem perfecta per se est & nullius indiga Salvatoris doctrina, cùm sit DEI virtus & Sapientia, accedens autem Græca Philosophia non veritatem facit potentiorem, sed debilem adversus eam efficit Sophisticam argumentationem, & quia dolosas adversus veritatem propulsat insidias, dicta est vineæ apta sepes & vallum. Hactenus Clemens, qui eodem libro de Dialectica totius eruditionis vestibulo docuerat eam ad id nobis prodesse, ne hæresibus incursantibus succumbamus. Dydimus Alexandrinus, qui tertio, ni fallor, seculo sub Valentiniano & Valente insignis scripturarum interpres claruit, etsi à puero oculorum sensu orbatus esset, Philosophiæ tamen pleraſque partes aurium adjumento addidicit, *non quidem ut veritatem* (cœlestem vi-

Dydimus Alexandrinus.

delicet) *inde discceret, sed quod arma contra mendacium forent*, ut *in hist. l. 4.* loquitur Theodoretus.

Theodoretus.

Augustinus.

XIX. Ex Augustino nihil afferam: legat tantùm, cui solida eruditio cordi est, ejus libros de Doctrina Christiana, quibus futurum Theologum ex Professo instruit, & quanti interfit in hac parte eruditionis instructos esse, qui Ecclesiæ aliquando præfici volunt, omnium accuratissimè exponit; digni profectò libri, qui non solum legantur sedulò ab omnibus Studiosis, sed memoriæ etiam penitus infigantur.

XX. Agite ergo scrutemur etiam exterorum sapientum disputationes, haud dubiè in his quoque utile aliquid inveniemus & fructum ex illis aliquem, qui animo nostro conducat, percipiemus. Nam *cum omnis*

*omnis artifex indigeat instrumentis ad opera sua perficienda, quid ni & ipsi Reginæ artium (*THEOLOGIÆ*) famulæ aliquæ inserviant,* ait Joan Damascenus *in Dial. c. 11.* Atque ut intelligant quidam, qui existimant summam religionem nihil bonarum literarum scire, quam miserè hallucinentur, opera danda est sedulò, ut dominicum templũ, quòd nonnulli inscitia barbarieque nimis dehonestarunt exoticis etiam opibus, pro viribus exornemus, ut & generosiora ingenia ad divinarum scripturarum amorem possint inflammari. Sed infideles fuerunt, inquis, qui ista nobis reliquerunt scripta. Fateor id equidem: sed ea tamen ipsa, quæ proponunt, vel falsa sunt vel vera: si falsa non sunt sapientium dicta, sed Sophistarum,

Veritas non pendet à dicente.

rum, quos nihili facimus: si vera, quid refert quis ea dixerit, cùm veritas non pendeat à dicente, imò cùm, teste Augustino, veritas à quocunque dicatur, ab eo proficiscatur, qui est ipsa veritas, quem non solum ex ore Balaam arioli & falsi vatis, sed etiam ex ore asinæ, qua ille ariolus vehebatur, verissima edidisse scimus.

Theologus futurus esse etiam Philosophus debet.

XXI. E quibus jam constare arbitror, secularem hanc eruditionem, cum ab ipso Deo proficiscatur, nullo modo contemnendam aut pietati contrariam, sed accuratè addiscendam etiam futuro Theologo esse, præsertim ei, qui non tantùm fidei dogmata explicare & confirmare, sed etiam veritatem adversus hostes ejus defendere aliquando velit. Quod ut eo rectius intel-

telligatur, neq; in malum detorqueatur sensum, *duo notanda sunt*: I. Ad habitum quidem Fidei consequendum, quo homo est Christianus, vel parum, vel etiam nihil omnino hanc eruditionem conferre, plurimum autem ad habitū Theologiæ, qui fidei habitum præsupponit, quique id possessori suo præstat, ut non tam percipiantur ab eo & credantur, quæ ad salutem necessaria sunt, quàm aliis explicentur, commodè ex suis principiis deducantur, probentur & confirmentur, & deniq; contra adversarios defendantur. *Habitus fidei.* *Habitus Theologiæ.*

XXII. II. Quod de usu hujus studii in SS. Theologia diximus, nisi rectè accipiatur, non usq; quaq; verum esse. Si enim Universaliter intelligas, quasi omnes in universum di- *Usus Philosophiæ in Theologia quantus.*

sciplinæ Philosophicæ omnibus in universum Theologis sint vel utiles vel necessariæ, ita ut nemo possit esse bonus Theologus, nisi sit ex toto etiã Philosophus, non tantùm falsum id erit, sed etiam contra manifestam experientiam. Vetustissimi quippe Ecclesiæ patres ferè omnes (Gregorio Nazianzeno, Augustino, Damasceno & paucis fortè aliis exceptis) de Metaphysica & Logica vix quicquam intellexisse videntur; & tamen extra controversiam in suo genere boni fuerunt Theologi. Dividenda ergo sententia est, vel, ut Logici loquuntur, in sensu diviso intelligenda; Sicut enim distincta sunt studii Theologici genera, quorum unum altero sublimius est & difficilius, ita etiam non æquè accu-

Genera Theologiæ diversa.

ra-

ratam omnium Philosophiæ partium cognitionem quodlibet eorum requirit.

XXIII. Sanè qui EXEGETICUM Theologiæ studium colit, i.e. qui interpretari scripturas rectè vult, linguarum studio prorsus carere nequit, licet illud ab eo non requiratur, ut vel Dialecticam, vel Physicam, vel reliquas disciplinas exactè omnes calleat. Rursus qui HOMILETICUM tractat, i.e. qui concionatorem aliquando acturus est, præ omnibus aliis Dicendi artem addiscere debet, etsi in reliquis disciplinis omnibus non adeo diligenter sit versatus. Qui verò POLEMICUM exerceat, id est, qui contra adversarios disputando nomen sibi quærere cupit, si is, inquam,

Exegeticum.

Homileticum.

Polemicum.

non sit in omni ferè eruditionis parte exercitatus nihil profectò aliud contra eos proferre poterit, quàm copiosam materiam, unde hi deo Risui litent.

Basilius Magnus. XXIV. Hinc est quod D. Basilius Magnus ad hæc quoque studia vocat adolescentes, quos ad Christianos mores instituit: hinc ad Musas vocat Licentium suum noster Augustinus; Hinc non pœnitet adamatæ captivæ Hieronymum; Hinc Cyprianus, summis effertur laudibus, quod templũ Domini Ægyptiis spoliis locupletavit. Hinc nobis etiam vitio verti non debet, si Salomonis exemplo sexaginta reginas, octoginta concubinas & innumerabiles secularis sapientiæ puellas domi alamus, modo divina sapientia præter

Augustinus.

Cyprianus.

ce-

ceteras sit unica nostra, formosa nostra, columba nostra, siq; quod caput rei est, omnia ad Christum referantur. Sic enim mundis omnia munda sunt, cum immundis contrà nihil sit mundum. Si itaq; nobis confidimus & ingens in Christo speramus lucrum, pergamus tanquam audaces mercatores *longius etiam in gentilium libris peregrinari*, atq; ut ante dictum Ægyptias opes ad dominici templi ornamentũ convertere: sin metuimus plus dispendii, quàm lucri speramus compendiiq;, noscamus nos ipsos nostroque nos modulo metiamur: Satius enim est minus sapere & amare magis, quàm magis sapere & non amare. Caveat tantùm unusquisq;, qui vel ob ingenii tenuitatem, vel præceptorum

Nemo sperat quod nequit assequi.

incuriam, vel alia denique impedimenta singulas hujus studii partes aut saltem pleraſq; assequi non potest, nec ideo aliis quoq; exosas eas reddat, vel, ut utar verbis S. Hieronymi, *dentibus vescentium edentulus ne invideat, aut oculos caprearum talpa contemnat*; ne videlicet inexímia DEI dona eorumq; autorem Opt. Maxim. sit injurius, quod tantum facinus nemo impunè est laturus.

Abusum non distinguere ab usu stultum est.

XXV. Postremò nec eos hîc audiendos puto, qui ideo hæc studia contemnunt aut odio prosequuntur, quod eorum ope etiam falsa facilius defendi contra incautos & simpliciores possint. Non vident enim miseri hi quidem & ipsissimi talpæ, quàm turpem committant fallaciam accidentis, quamque pueriliter usum

usum rei optimæ cum pessimo ejusdem abusu confundant. Et quæ res bona est, quâ abuti malitiâ hominum non possit? Nemo corporis exercitationem culpat, licet robore per eam acquisitio multi aburantur, & animi bona propter abusum per accidens supervenientem sint habenda nihili? O nefas! *Eodem jure cœlum, terram, aërem, quæq; in iis continentur odio poterunt habere, quandoquidem complures inveniantur, qui hæc aut Deos constituant, aut his alioquin abutantur*, ait de talibus Gregor. Naz. *in parent. Basil. Magni.* Et Augustinus aureis illis, quos antè laudavimus, de Doctrin. Christ. libris ad hujusmodi objectionem contra eloquentiæ quidem studium prolatam ita respondet: *Nihilominus vera sunt* (hæc præcepta)

Nihil tam bonum quo abuti nequeamus.

quamvis eis etiam possint falsa persuaderi. Sed quia & vera esse possunt, non est facultas ipsa culpabilis, sed eâ malè utentium perversitas. l. 2. c. 36. Recipiamus itaque secularem sapientiam & impietatem, sub cujus Tyrannide fuit, ab eâ amoveamus, nec eo quod bonum est malè utamur, aut ad decipiendos simpliciores artem hanc tractemus.

Philosophia animum hominis perficit.

XXVI. Ceterum, quem usum eadem reliquis studiis tanquam ex ea deductis Jurisprudentiæ, inquam, ac Medicinę præstet, pluribus quidem poterat demonstrari, nisi brevitati studendum nobis esset. Illud hoc loco sufficiat, à quocunque ut par est addiscatur ejus eam perficere animum atq; id præstare, ne in seditiosâ pectoris humani Rep. tumultuantes affectus victoriam ob-

obtineant, & Rationem omnium reginam è solio suo deturbent, sed ut verum maneat, quod sapientissimus Romanorum ait *epist. 65. Quem in hoc mundo locum DEUS obtinet, hunc in homine animus.* Partes sanè diversissimæ, ex quibus constamus, adeò perplexâ seditione inter se tumultuantur, ac si hostes essent *distinctissimi*, & adeo nihilominus arctè inter se colligantur, ut distrahi à se *invicem* nisi maximo cum dolore nequeant. Hostes nobiscum gerimus consuetudine plus quàm cives, studio plus quàm hostes, quos neq; arcere vallo licet, neq; castris exigere fas est. Itaq; nisi penes unum sit imperii summa, nisi in hac Rep. plus valeat, qui plus sapit, pareat qui minus, nihil est homine miserius, & ut Poëta ait:

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

XXVII. Et hæc quidem nunc de hac materia sufficiant, quæ tam consona esse ipsi naturæ putamus, ut nemo iis adversari seriò quidem possit, *multa enim sunt*, ut notat Philosophus *1. post. c. 8. t. 25. quibus licet ore contradicas, mente tamen non potes.* Votum. Rogamus, qui ipsa est Veritas, DEUM Opt. Max. ut cum sanctissimo suo verbo etjam hanc veritatem conservare & ad posteros transmittere dignetur, quò ad nominis sui gloriam, Ecclesiæ ædificationem & Reipub. utilitatem omnia cedant; cui æternum sit LAUS, HONOR & GLORIA.

DIS-

DISSERTATIONUM POLITICARUM PRIMA,

De

NATURA POLITICÆ AC REIPUBLICÆ CAUSIS.

Respondente

FELICE HIEROVIO,
Thorunienſe Boruſſo.

Aphor. I.

TAnta eſt hodie ſcripturientium turba, Auditores Nobiliſſimi atq; Ornatiſſimi, ut ſi caveâ forent incluſi omnes itidem ut pulli Gallinacei, tamen haud poſſent integro cir- *Scripturientium multitudo.*

circumiri anno, neq; unquam tot fungos producat una pluvia, quot nunc libros una dies, cùm vitium vulgi jam sit & omnium morbus, quæ ante secula aliquot paucorum virtus fuit. Et ista quidem conscribillantium gangræna sicuti indies serpit per omnes eruditionis partes, ita præcipuè eam invadit disciplinam, quam omnium artium dominam & Ἀρχιτεκτονικὴν, omnium actionum humanarum moderatricem, omnium denique disciplinarum, saltem practicarum maximam omnis erudita natio fatetur.

II. Unde tot prodeunt systemata, tantam & doctrinæ facilitatem & prudentiæ civilis ubertatem promittentia, ut vel à velticipum ætate ea capi posse videatur. Quod si titu-

titulum immanem, portentosum & in fronte mirificè splendentem removeas, nihil est quod speres amplius, nisi pauca quædam axiomata à novitiis noviter excogitata, quæ si omnia in bilancem unà conjicerentur, vix scrupulum penderent, tantum abest, ut fundandæ stabiliendæque Reipublicæ pondus aliquod afferre possent.

III. Fit autem hoc ideò præcipuè, quòd plerique ab antiquis rectè tradita labefactare malint, iisq; nova substituere, quàm iis, quæ absolutè & egregiè jam ab aliis inventa sunt, uti, & quæ nondum sunt reperta, ea ut reperiantur, operam dare, quod tamen Aristoteles *lib. 7. Polit. Cap. 10.* omnibus præscribit. Facilius nempe iis videtur antiqua exagi-

Novatorum prurigo.

agitare calumniarique, quàm ea æstimare imitarique, quæ sicuti olim à Socrate, Platone, Xenophonte, Aristotele, Xenocrate, Speusippo, &c. verè solideque fuere tradita, ita pòst ab aliis, qui hos secuti sunt, masculæ illius sapientiæ custodibus sunt confirmata.

IV. Agite, ergo, conquiremus optima aliquot civilis prudentiæ præcepta, eaque, ut ad disputandum vobis ansam præbeamus, paucis aphorismis includemus: non quidem è subrostranis illis Politicis, quorum haud pauci nihil sunt nisi probra & dehonestamenta tanti nominis, sed ex iis, qui ut incorrupti antiquitatis cultores, ab omnibus eruditis maximi æstimantur. Istos verò cæteros, quoniam res multas insulsi saporis habent, Se-

na-

natus prudentum aliquantisper silere jubebit.

V. Præcipua tamen hujus doctrinæ fundamenta Aristoteles nobis suppeditabit, qui tantum operæ in una hac disciplina posuit, (quemadmodum è Cicer. 5. *de finibus.* Diog. Laërt. *in ejus vitâ.* Varrone *l. 6. de ling. Latina,* Ammonio item aliisque discimus) ut si nihil extra illam reliquisset, omnium stupore dignus esset. Intercidêrunt sanè pleraq; divini ingenii hac in re monumenta, quæ tamẽ adhuc pauca supersunt, sic illa compensant, ut post natos forte homines nihil quicquam gravius aut consummatius de constitutione Rerumpublicarum, earumq; conservatione, tum & utriusq; causis publicatum hactenus legatur. Id quod de iis tamen intel-

Iis Aristoteles præfertur.

Qui optimè de Rep. scripsit.

Sed in genere.

telligi velim, quæ ad Rempublicam in genere ſpectant, non de iis, quæ hanc vel illam, Romanam ex. gr. aut aliam hujus ſeculi concernunt. Ut per ſe cuivis manifeſtum eſt.

VI. Operæ pretium autem abſque dubio facturi ſumus, ſi generalem hanc diſſertationem præmittamus, atq; eâ naturam *hujus diſciplinæ*, ejuſq; addiſcendæ modum, tum etjam rerum publicarum cauſſas *ob oculos vobis ponamus*, prius quam veram, ſolidam, naturali ratione conſtitutam, prudentiâ ac virtute armatam

Politica ars regendi eſt.

Regendi artem (ita enim hanc diſciplinam rectè vocamus) aggrediamur. Sic enim, quid ea ſit, quid à vobis requirat, quid denique ex eâdem vobis ſperandum ſit, videbitis. Breves tamen erimus, & ea tantum

tum adferemus, quæ à nemine, qui quidem eruditis adnumerari velit, ignorari debent.

VII. Itaque ut de genere primo simus solliciti, dicimus illud esse vel *Remotum*, vel *Proximum*. *Remotum* quidem Politicæ genus est Philosophia Practica, de ejusmodi rebus agens, quæ in nostra sunt potestate, nostrisq; consiliis reguntur, vel, ut clarius dicam, quarum & autor & moderator esse potest homo. *Proximum* nullibi rectius, quàm apud Aristotelem *6. Eth. c. 3.* inveniemus, ubi quinq; tantum habitus animi principales proponuntur, qui sunt: Intellectus, Sapientia, Scientia, Prudentia & Ars. Ad nullum autem horum referri hæc nostra disciplina potest, nisi ad solam Prudentiã, quæ de omnibus

Ejus genus aliud.

Remotum.

Proximum.

bus ad benè beatèque vivendum necessariis rectè consultare docet. Videatur Philosophus *lib. cit. cap.* 5. & præcipuè *Cap.* 8. & 9. ubi accuratissimè natura istius habitus explicatur.

Tria in disciplinis practicis spectanda.

VIII. Unde jam constat, quemadmodum in omnibus disciplinis operatricibus, ita etiam in hac illud præcipuè spectari, ut *Subjecto*, quantum ad operationem & ad finem consequendum sufficiat, cognito, *Finem* ipsum statim aggrediamur, & postmodum *Media*, quibus is in Subjectum introducatur, inquiramus. Quod sicut acutissimè Philosophus in Analyt. docuerat, ita elegantissimè in Politicis observavit, duobus enim libris prioribus, & parte aliqua tertii de Subjecto, in reliquâ tertii & toto pene quarto de finibus, reliquum

quum tractationi mediorum impendit.

IX. De *Medio* quidem hoc loco agere non possumus; ea enim tum demum cognita erunt, cùm disciplina ad finem fuerit perducta. *Subjectum* est Civitas, quæ cum sit Materia Reipublicæ, paullo inferius, ubi de caussis Rerump. agemus, breviter explicabitur. *Finis* uti plerumque in practicis duplex occurrit, ita & hîc. *Externus* in benè beateq; vivendo consistit. *Internus* est ipsa Respublica, quippe per quam rectè institutam bene beateque multitudo vivit. Hæc paulo accuratius à nobis, generaliter tamen, considerabitur, ubi paucis explicatum fuerit, quâ ratione rectissimè omnium addisci hæc disciplina queat.

Media.

Subjectum.

Finis.

Externus.

Internus.

X. Primo autem observandum

'Ακριβολογία in Politicis non exigitur.

dum est diligenter, in Politicis disputationibus neque posse neq; debere eam esse ἀκριβολογίαν, quæ vel in Physicis, vel in aliis Theoreticæ Philosophiæ partibus adhiberi solet; cum non nisi de rebus divinis & necessariis habeantur exactæ demonstrationes, quas qui in rebus humanis & contingentibus semper efflagitare velit, eâdem operâ eodemq; successu equestrem artem Venetiis, nauticam Lipsiæ exercere conabitur. Et quid mirum rem ita sese habere, cum Politicus principem instituendum suscipiat, non ut in scholis disputet, sed ut populos regat, & pro temporum diversitate, diversis quoq; mediis ad rempublicam vel conservandam, si integra, vel restituendam, si collapsa sit utatur.

Et quare?

XI. Un-

XI. Unde etsi in eo conveniat Politica cũ reliquis disciplinis, quod, sicut hæ omnes, ita & illa, in sui studioso pietatem, ingenium, memoriam, sedulitatem, & si quæ sunt alia ejusmodi, præsupponat, tamen hoc peculiare & quodammodo proprium habet, quòd maximam præterea experientiam & rerum civilium usum requirat. Hinc etiam Doctrina & Usus (quæ duo crura Politicæ facit Aristoteles 10. Eth. c. ult.) tam arctè hîc inter se sunt connexa, ut nec usus sine arte, nec ars sine usu perfectum Politicum absolvat,

Duo crura Politicæ; Doctrina & Usus.

——— *Alterius sic*
Altera poscit opem res, & conspirat in unum.

XII. Laudamus itaq; experientiam, sed cum ea lectionem & cognitionem conjun-

ctam volumus, quæ non ex Prætorum edicto, nec ex duodecim tabulis, Cicerone teste, sed ex intimis Philosophiæ secretis est hauriendæ. Ut enim experientia vitæ, ita experientiæ Magistra est eruditio. Hanc ergo præsupponat, qui cum fructu huic studio operam est daturus, eique, ut majori propositioni in Syllogismo, subjungat minorem, lectionem nempe historiarum, &, si fieri potest, peregrinationes, ex quibus discet, quæ præcepta Politica, à quibus vel usurpata cum fructu, vel neglecta cum dispendio fuerint; unde non poterit non sequi tandē, ut ex præmissis conclusio, Prudentia civilis; quâ qui instructus est, is demum Reipublicæ, in quâ vivit, virtutes conservare, vel vitia curare non tantū volet, sed etiam poterit. XIII.

Verus Politicus quis sit?

XIII. Ex quibus omnibus manifestò apparet, rectissimè facere Aristotelem, cum hujus disciplinæ veros Professores esse negat 1. *Sophistas l. 10. Eth. c. ult.* qui larvas sibi fingentes, quibus cum pugnent, nihil aliud agunt, quàm ut inutilibus nonnullis quæstiunculis tempus terant, iisq; imperitam juventutem in Scholis decipiant. 2. *Oratores*, de quibus ipse Philosophus *l. 1. Rhet.* adeundus. 3. *Eos*, qui usu solo & experientiâ, non autem doctrinâ, simul & eruditione pollent, contra quos ut Empiricos, non Politicos disputat etiam Plato in Theage Menone, & locis passim aliis. *Quis non sit?*

XIV. Minimè omnium autem hoc nomine digni sunt, quos vulgus hodiè Politicos vocat, homines callidi, versuti, *Maximus abusus vocabuli.*

ad fraudes quasvis & impostu-
ras nati, quos ego polytropos
quidem esse concesserim, po-
liticos verò nequaquam. Etsi
enim vestitu splendido illu-
stres, famulitioque frequenti
stipati incedentes adfectant
ad rerum gubernacula viam,
tutoq; sibi publicam salutem
committi existimant, nondum
tamen sibimetipsis imperan-
di scientiam nacti sunt, cùm
sint ut utar verbis Philosophi,
τῶν κατὰ τὸν βίον πράξεων, περὶ ὧν ἡ
πολιτικὴ σκοπεῖται, ἀπειροι.

Corruptis nominibus res etiam ipsæ corrumpuntur.

XV. Cæterum ita agi cum
reb⁹ humanis passim inculcat
Aristoteles, ut, si Respublica
aliqua corrumpenda sit, ipsa
prius nomina rerum corrum-
pantur, & Sophistæ, id est, nu-
gatores Philosophi salutentur,
homines versipelles audiant
politici, versificatores Poëtæ,

Probatur exemplis.

Ra-

Rabulæ forenſes JCTI loquaces & clamoſi oratores, circumforanei Medici. Quo fit, ut ipſa quoque vitia virtutum nomine veniant, & contra pro veræ virtutis præmiis falſi ſæpe ſceleris pœnas ſubeant, qui veram ſapientiam ſectantur, i. e. qui rectè de rebus judicant, & talem unamquaqm; qualis ipſa eſt, exiſtimant.

XVI. Teſtes appello univerſos univerſi terrarum orbis incolas. Quis eſt, quæſo, quin videat queraturque cum lacrymis, omnia in pejus prolapſa eſſe, ex quo vitia virtutis habitum ſumpsêre? Mercatura in fraudes deſiit & impoſturas, agricultura in diſcordias & rixas, navigatio in piraticâ, judicia in rapinas, militia in impunita latrocinia, artes liberales in deſidiam aut ſpecio-

cioſa, ad ſummum deliria, religio in ſuperſtitionem, ſacra deniq; omnia in nudas atque inanes ceremonias. Et eò quidem inſidioſius hæc vitia nocent, quò plauſibiliori virtutis prætextu fucum imperitis faciunt: non ſecus atq; venenum vino generoſiori mixtum pernicius pernicioſiuſque graſſatur. Sed ad rem.

XVII. Nos, qui ſcapham ſcapham appellare didicimus, illum perfecti Politici titulo dignũ iudicamus, qui omnes immenſi hujus ſtudii partes exactè callet; quas tres facit Philoſoph. 6. Eth. c. 8. & 4. Pol. c. 14. Νομοθετικὴν, quæ de Republicâ conſtituendâ agit; Βουλευτικὴν, quæ in deliberationibus rectè inſtituendis occupata eſt; & Δικαστικὴν, quæ judices informat, & ad dirimendas inter cives controverſias idoneos red-

Politicæ tres partes.

reddit. Hactenus de Politica, pergamus ad Rempublicam ipsam, quam finem internum huic disciplinæ supra adsignavimus.

XVIII. Omnium autem primò ab æquivocatione vocabulum πολιτείας seu reipublicæ liberandum est. Id verò interdum *strictè* à Philosopho accipitur pro eâ Reipublicæ formâ, quæ popularis est, ut patet ex *quarto Politicorum c. 8.* Interdum *latè*, prout omnes Rerumpublicarũ formas includit, ut *lib. 3. Polit. c. 14.* quod ideo monere debuimus, ne de verbis iis nobis deinceps intendatur. Et ipse quidem Philosophus disertis verbis vocabuli hujus diversam significationem proponit *8. Eth. c. 1.* Ubi *Politia*, inquit, *tres sunt species, totidemq; ab illis aberrationes, seu corruptiones bonæ politiæ. Sunt autem*

Politiæ Vocabulum ambiguum.

Politia Regnum, & Optimatum gubernatio, tertia verò, quæ est ex censu, quam propriè Τιμοκρατικὴν apparet appellari, hanc plurimi Politiam vocare consueverunt. Nos, ut per se manifestum est, latè eam hoc loco accipimus.

XIX. Definitiones ejus diversæ à diversis autoribus proponuntur. Alia enim est Aristotelis *l. 3. Pol. c. 6.* Alia Plutarchi: Alia Augustini *l. 2. de Civit. DEI c. 21.* Alia Lipsii *l. 2. Pol. c. 1.* quæ quidem omnes cùm verbis magis, quàm sententiâ discrepent, una aliqua, non accuratior quidem, sed quæ omnes simul Reipublicæ causas suo ambitu contineat, proponenda erit. Ea nostro quidem judicio talis esse potest: *Respublica est Hominum congregatio juris consensu sociata & naturâ duce ad bene beateq; vivendum ordinata.*

Definitio Reipublicæ.

tu. Non est fateor, accurata & omnibus numeris absoluta hæc definitio, quod, ut Aristoteles animam non per corpus, sed actum corporis definivit 2. de anim. c. 1. ita legitimum genus Reip. non in ejus materiâ, sed formâ fuerit quærendum, sed quia non cum Stoicis, verum cùm Politicis & populo jam loquimur, hanc dare voluimus, quippe ex quâ facilè, quid res ipsa sit, percipiatur. *Non accurata sed facilis.*

XX. Et rigidi quidem isti exactores, qui anxiis definitionibus & superstitiosis divisionibus in Practicis disciplinis ex professo rem obscuram reddunt, idem nobis facere videntur, quod hodiè illi, qui integra ferè volumina (utpote Dictatores perpetui) de unicâ hac quæstione auditoribus tradunt: Utrum Logica per *Inutilis subtilitas obscuritatem parit.* *Exemplum è Logicis.*

artem, an per habitum instrumentalem sit definienda? parum interim solliciti, quid de præceptis ipsis eorumque in cæteris disciplinis usu, atque adeo de accurata disputandi ratione fiat: vel absurdiores adhuc illi, qui olim An virtutes animalia sint maximâ contentione disputabant.

Aliud ex Ethicis.

XXI. De quibus egregiè, ut solet, Seneca *ep. 113.* cujus verba non possum quin adjiciam, *Desideras*, inquit, *tibi scribi à me, quid sentiam de hac quæstione jactata apud nostros: An justitia, an fortitudo, prudentia cæteræque virtutes animalia sint? Hac subtilitate efficimus, Lucili charissime, ut exercere ingenium inter irrita videamur: & disputationibus nihil profuturis otiũ terere.* Et post multa. *Hac disputandi attractis supercilii, fronte rugosa. Non possum hoc loco dicere illud*

Notabilis locus Senecæ.

Ca-

Cecilianum: ô tristes ineptias! ridiculæ sunt. Quin itaq; potius aliquid utile nobis ac salutare tractamus, & quærimus, quomodo ad virtutes venire possimus, quæ nos ad illas viæ adducat. Doce me, non an fortitudo animal sit? sed nullum animal felix esse sine fortitudine, &c.

XXII. Ita Seneca adistas nugas; ego similiter nostris: Doce me, inquam, non, an Logica ars sit an instrumentum, sed neminem sine Logicâ vel accuratè disputare, vel rectè quicquam discere posse. Doce me, non an ordo sit Respublica, an congregatio legitima, sed nullam societatem, nisi adsit hic ordo, posse consistere, sed suo impetu, suâ ruere mole. Scilicet non admittit hæc doctrina tantam ἀκριβολογίαν, ut supra §. 10. diximus, cùm ne ipsa quidem Respubli-

ca semper eadem esse possit. Innuit hoc etiam Cicero prudentiæ civilis consultissimus *l. 1. ad fam. Ep. 9.* cujus verba tamen, ne nimium à scopo, non adscribo.

Efficiens Reipublicæ. Natura.

XXIII. Caussa Efficiens Reipublicæ est ipsa *natura*. Aristoteles enim *1. Polit. c. 2.* mirandis planè rationibus probat omnem civitatem à naturâ esse. *Et quod animal civile homo sit itidem esse à natura.* Sicut contrà eum, qui aut civitates fugit, aut ab iis, non ob casum aliquem, quod fit non rarò, aut fortunam, sed naturâ alienus est, aut improbum, aut homine majorem esse. Unde sequitur, cùm instinctus naturæ à Deo insitus sit, atq; adeò, quæ in naturâ sunt, ad Deum referantur, ipsum quoque Deum Rerumpublicarũ causſam efficientem esse.

DEUS.

XXIV. Unde mirari satis non possumus importunitatem hominis prorsus athei Machiavelli, qui *l. 2. de Rep. c. 29.* multa accidere ex fato ita urgente docet, ut iis obviam ire nemo possit, quamvis in promtu remedia fuerint. Et ne quis putet eum nomine fati providentiam forte divinam intelligere, subjungit statim hæc verba: *Inprimis ergo ratio habenda est earum rerum, quæ fato ipso, seu astrorum influxu evenire videntur, & quibus ut resistamus, fortuna non permittit.* Fatum igitur ille astrorum influxum appellat & fatum ex astris inevitabile. Nos qui Christiani sumus (talem enim hunc scriptorem fuisse vix credimus) Respublicas Omnipotenti DEO committimus; siderum sive errores, sive statas periodos & jussos

Non fatũ astrorum fatum.

ſos à DEO circuitus nihil ad nos pertinere, nullam in animum noſtrum habere juriſdictionem aut efficientiam certo nobis perſuademus.

XXV. Non poſſumus etiam Antonii Mirandulani viri aliàs eruditiſsimi ſententiæ ſubſcribere, qui Politicam atq; adeò ipſas politias non à naturâ ſed *ex accidenti* exiſtere arbitratus eſt, *propter malitiam* videlicet *hominum*, cui corrigendæ princeps Reip. præeſt & leges ſunt introductæ. Nititur enim hæc ſententia falſo fundamento, nempe ideò tantũ leges ferri in Republicâ, ut humana coërceatur audacia, & inter improbos innocentia ſecuritate lætetur: Falſum, inquam, hoc eſt, cùm non tantum propter malos promulgentur in Republica leges, ſed

iiſ-

iisdem etiam præmia & honores præfiniantur bonis.

XXVI. Rectius ergo sentiunt, qui naturæ ipsius inclinatione respublicas esse ortas statuunt. Unde etiam nonnulli in statu innocentiæ alios aliis imperaturos fuisse credunt: quibus cum faciunt Thomas, Scotus, & qui accuratissimè de hac quæstione disputat Bened. Pererius *in Gen. l. 4. pag. mihi 173*, ubi inter alia pro hac sententiâ etiam ex eo argumentatur, quòd in Angelis sanctissimis, sapientissimis & beatissimis constet, alios superiores, alios inferiores esse, quorum nonnulli à principatûs & dominatûs excellentiâ nomen acceperint, ut nempe Archangeli, Principatus, Potestates & dominationes vocentur.

XXVII. Caussa Reip.

Ma-

Objectum Reip. Civitas. Cur de ea primo loco agendum?

MATERIALIS, quæ & Objectum Politicæ, est *Civitas*, vel ut in definitione dictũ, *Cœtus hominum*. De civitate ergo Philosophus rectissimè statim *1. Pol. c. 1.* in principio agit, cum nulla disciplina practica sine præviâ materię seu Subjecti cognitione rectè & cum fructu addisci possit. Ita à Medico præcognoscendum est corpus humanum, quod sanari debet, ab Ethico animus hominis, qui virtutis actione perficitur, à Fabro lignum, ferrum, aurum, argentum, &c. à Politico deniq; ut ad institutum nostrum redeamus, Civitas.

XXVIII. Cùm autem hæc res non possit expediri, nisi præmittantur ea, ex quibus civitas componitur, nempe familiæ & familiarum societates, aggreditur Philosophus Sub-

Subjecti per partes suas explicationem, & 1. *Polit. c. 2.* Methodum aperit, quâ una ex alia educatur. Ubi ex ipsa natura demonstrat omnium societatum primam ac principalem esse matrimonium, ex quo ut principio urbis & quasi seminario reipublicæ sequuntur fratrum conjunctiones, post consobrinorum, sobrinorumque, qui cum unâ domo capi jam non possint, in alias domus tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Quæ propagatio & soboles origo est Rerum publicarum, ut loquitur Cicero 1. *Offic.*

XXIX. Sed hac de re peculiarem disputationem, DEO dante, habebimus. Illud hoc loco monendum est: errorem val-

Aliud Civitas, aliud Respublica.

valde puerilem committere, qui (1.) civitatem cum Republicâ confundunt, & unâ definitione utramque conantur explicare, cùm tamen Civitas materiæ, Respublica verò formæ rationem habeat, hæc ut vita, illa sit ut corpus, secundum Aristotelem 4. *Polit. c. 11.* (2.) Domum inter societates Politicas cum Philosopho & aliis Politicis non numerant, ne (hanc enim rationem adjungunt) Œconomicam disciplinam confundant cum doctrinâ Politicâ. Quasi verò disciplinæ Practicæ subjecto & non potius fine distinguantur, qui alius est Œconomiæ, nimirum πλῆθος, ut docetur 1. *Ethic. c. 1.* & apud Commentat. *tr. 3. Polit.* alius Politicæ, ut jam videbimus.

Disciplinæ practicæ finibus distinguuntur.

Forma Reipublicæ.

XXX. Forma Reipublicæ est

est *ratio juris*, in quod cœtus ille seu populus consentit, hoc est, ordo imperantium & parentium in imperio. Qui ordo cùm in personis requiescat, variatis secundum numerum personis, Rempublicam quoque variari necessum est; aliter enim gubernandi potestas uni soli competit, aliter in paucos diffunditur, aliter in multos. Unde *tres* distinctæ *Rerumpublicarum formæ* oriuntur: *Monarchia*, cum unus: *Oligarchia*, cum pauci, & πολιτεία *proprie dicta*, cum omnes Reip. præsunt, de quibus ut & oppositis aberrantibus in generali hac disputatione dici non potest, sed specialior in progressu instituenda consideratio erit. *Triplex.*

XXXI. Restat adhuc FINIS Reipublicæ, qui in *bono publico* consistit. *Finis ejus.*

consistit, ut Aristoteles 7. *Polit. c. 4.* & alibi passim inculcat, ac eleganter, ut omnia, edisserit *Cicero l. 5. de Rep. & l. 8. ad Atticum*, ubi dicit: *Ut gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria, sic Moderatori Reipublicæ beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta sit Respublica.* Et *in Ep. ad Quintum fr.* Eò, inquit, *referenda sunt omnia iis, qui præsunt aliis, ut ii, qui erunt eorum in imperio, sint quàm beatissimi.*

Politicæ Christianæ non differunt à reliquis.

XXXII. Felicitati itaq; publicæ Respublica subordinatur in Politicis, quemadmodum veritati Syllogismus in Logicis. Nec quicquam contra hanc Philosophi sententiam faciunt, qui Politicas Christianas scribunt, & in eo potissimum suam Rempublicam à profanis discernunt, quod

quod ad gloriam divini Numinis dirigatur. Quasi verò quæ ex principiis Philosophicis deducuntur, cætu Christianorum indignæ sint, aut alia ratio Monarchiæ ex. gr. vel Aristocratiæ sit apud Christianos, quàm apud gentiles.

XXXIII. Finem ergo dum Aristoteles assignat proximũ, illi remotissimum reponunt, & talem, qui non cæteris tantum disciplinis, sed omnibus hominum dictis ac factis est communis, unde Apostolus *1. Cor. 10. sive edatis*, inquit, *sive bibatis, sive quodcunq; feceritis, omnia facite ad gloriam* DEI. Talis itaque finis, cum omnibus sit communis, atq; adeò nullibi peculiariter possit explicari, tacitè præsupponendus est ubiq;, & ab ipsis quoq; Philosophis præsupponitur.

XXXIV.

XXXIV. Sunt sane principes Rerumpublicarum ad id constituti à DEO, ut sint nutritii Ecclesiæ Esa. 49. & ad muros illius ædificandos obligantur Esa. 60. neq; tamen Ethica aut Politica propterea corrigendæ sunt; præcipuè cùm finis ille superveniens ab aliâ facultate dirigatur. Est ea cura Theologiæ, quæ in omnes disciplinas imperium (justum tamen, non Tyrannicum, ut quidam sibi fingunt) autoritate divinâ sibi vendicat, quemadmodum civilis quoq; tanquam architectonica facultas, idem imperium in reliquas scientias & artes exercet, quas Reipublicæ ejusq; felicitati subjicit, utut cum finem singulæ artes in se non complectantur.

Theologiæ omnibus disciplinis præfertur.

XXXV. Tantum de naturâ hu-

hujus disciplinæ, ut & de Republicâ in genere, quam tum demum felicissimam judicamus, si singuli in eâ floreant, ipsaq; sibi sit sufficiens, ut Aristotelis illa Αὐτάρκειαν revera ei conveniat. Quam quidem in eo sitam esse putamus, cùm gens aliqua, seu populi cœtus ita sociatus est, ut eorum respublica omni externo dominio libera, absoluto & perfecto imperio utatur, & à nullo dependens liberè de se statuere possit. Quod si verò alterius subjecta sit potestati & imperio, non integra ipsa Respublica, sed alterius Reipublicæ pars & accessio erit.

DIS-

DISSERTATIO II.

De

OBJECTO POLITICÆ SEU CIVITATE, EJUSQUE PARTIBUS.

Respondente

VVOLFFGANGO à STEINBACH, Equite Bohemo.

Aphor. I.

Subjectum Reipublicæ *Civitatem* esse docuimus supra: Eam Aristoteles *l.* 1. *Polit. cap.* 2. definit *Societatem perfectam ex pluribus pagis constantem omnibusq; rebus ad vitam necessariis instructam, non solùm vivendi, sed etiam benè vivendi causâ constitutam.* Neq; enim

Quid sit civitas?

enim hoc loco vocabulum Civitatis pro ipsâ Republicâ accipimus, quemadmodum Plinius *lib. 7.* ubi Regiam civitatem Ægyptiis popularem Atticis tribuit, & Cicero, qui Regale civitatis genus appellavit, quam nos hodiè monarchiam vocamus, sed sine respectu ad formam materiale tantùm Reipubl. i. e. Subjectum, cui forma introducenda est, Civitatis nomine designamus.

II. Cùm autem ex pagis seu vicis ea componatur, vici autem è domibus, domus è societatibus constituantur, ut & natura & experientia nos edocet, videndum paucis nunc est, quâ ratione ac ordine societates hæ ex naturâ prodeant, & quomodo ex iis tanquam partibus ipsa demum civitas societatum perfectissima coalescat. *Quemadmo-*

dum enim in aliis rem compositam ad simplices usq; partes dividere oportet (propterea quòd minima sunt ejus rei, cujus instituitur divisio) quia multum id ad lucem facere videtur; eodem modo si nunc diligenter partes singulas, è quibus constat civitas, examinemus, facilius cum differentiam earum videbimus, tum sine ullo negotio singula in artem dirigemus, ait Aristoteles *l. 1. Pol. c. 1.*

Civitatis partes. III. Et primò quidem generaliter dividuntur *Civitatis partes* hoc modo, ut *aliæ Simplices*, ac *Simplices.* Primariæ; aliæ *Compositæ & Secundariæ* dicantur: *Illæ* sunt in triplici differentiâ: alia est κοινωνία γαμικὴ seu *conjugalis*, alia δεσποτικὴ sive *herilis*, alia deniq; παιδικὴ, seu *paterna*. Hæ item tres sunt: οἰκονομικὴ *Compositæ.* *domestica*, κωμικὴ *pagana*, πολιτικὴ *civilis*: de quibus singulis jam videbimus.

IV. Equidem omnes hæ so-

cie-

cietates causam efficientem habent ipsam naturam, ut de singulis probat Aristoteles l. c. maximè tamen omnium conjugalis, quam ita à naturâ pendere docet idem Philosophus, ut etiam προαίρεσιν naturali ad eam hominum inclinationi opponat. Quin & hoc addit, neq; ex voluntate, neq; ex sensu eam proficisci, quòd non tantùm homines & animalia bruta, sed etiam plantas propagare sese videamus, quibus tamen neque consultationem, neq; voluntatem, neq; sensum inesse scimus.

Societas conjugalis omnium prima.

Maximè naturalis.

V. Ita videlicet comparatum est cum naturâ rerum, ut egregiè ab Aristotele non tantùm in libris de animâ, sed etiam de animalium generatione docetur; Ad finem rerum omnium, qui Deus est, natura suo impetu fertur, eumq;, quantum qui-

Probatur ratione.

dem poteſt, imitari cupit, & maximè perpetuam ejus durationem adfectat. Cùm autem non poſsit ſeſe propter adjuncta generationis ac corruptionis principia in Individuo conſervare, ſpeciei ſaltem propagationem machinatur, & ſui ſimile alterum relinquere ſtudet.

Et autoritate Ciceronis.

VI. Et ex hoc quidem procreandi ſibi ſimile appetitu non Ariſtoteles tantùm, ſed Cicero etiam Conjugium deducit, cum *Offic. 1. naturâ commune eſſe omnium animantium* dicit, *ut habeant libidinem procreandi, unde*, inquit, *prima ſocietas in ipſo eſt conjugio, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Id autem eſt principium urbis & quaſi ſeminarium Reip. &c.* Qui

Qui contra Danæum defenditur.

imeritò à Danæo vapulat, quòd principium honeſtæ ſocietatis à libidine ſeclusâ ordinatione divinâ accerſat. Politici enim

cum

cum proximas rerum causas inquirant, remotam illam, nempe divinam providentiam aut ordinationem præsupponunt, ne novum ignorantiæ asylum condant. cùm aliàs suum præsidium in istis universalibus rerum causis ponere soleant, qui intimos naturæ recessus penetrare vel desides, vel ignavi nolunt, vel stolidi & imbecilles nequeunt. *Asylum ignorantiæ*

VII. Quod si teneras Danæi aures Libidinis forte vocabulũ offendit, cogitare debuisset Ciceronem in genere, & quidem verbis expressis omnium animalium facere mentionem, adeoq; nullâ commodiori voce uti potuisse, quàm illâ, quæ omnibus est communis. Substituas, ergo, licet appetitum Venereum, quamvis & ipse, nisi ratione corrigatur, aliud quàm li-

bidinis nomen non mereatur. Vel, si mavis, amoris voce utere, utpote creaturæ rationali magis conveniente. Ita deprehendes rem ipsam manere veram, id est, hominem naturâ ad societatem conjugii ferri, utut nomen mutetur. Ita enim idem ille sive appetitus, sive inclinatio, sive amor deniq; irrepit, ut nos omnes, omnes, inquam, ante sentiamus amare, quàm instituamus de amore consilium.

Amor omnibus innascitur.

Ratione regendus.

VIII. Etsi verò commune sit omnibus animantibus suave istud desiderium, in homine tamen ratione regendum est, & honestate terminandum; quod cùm fit, nihil profectò in mortalibus est magis eximium. Namq; & omnibus virtutibus venustatem quandam ex sese conciliat, & ipsa interdum vitia excusat. Unde non immeritò

rò lapidibus comparat Poëta homines ſeveros, qui, ut omnẽ averſantur amorem, ita fœdâ eum & enervi imagine ſibi fingunt: quo tamen nihil, ut dixi, in humanis rebus ſincerius eſt, modò in juſtis limitibus & à virtute factis ardens, non etiam ſuo incendio, quę vitantur, corripiat.

IX. Et quid opus talia probare? Quilibet rationis radios in propriæ conſcientiæ penetralia mittat, ſuamq; exploret naturam: mendax ſim, niſi pedibus in Ariſtotelis, Ciceronis &aliorum, quos hac in parte ſequimur, iverit ſententiam. Unde elegantiſsimè in Icone animorum ſive Luſininus Euphormio (ut vocari cupit) ſive Barclajus: *Neq; in adoleſcentibus tantùm*, inquit, *aut maturæ ætatis hominibus blanda illa cupiditas concitatur: ſed &* *Probatur ab experientia & cujuſvis teſtimonio propriæ.*

pueros in innoxiis sollicitat annis, ut intelligas hunc ignem dignis pectoribus pene non tàm accedere, quàm innasci. Id quod egregio exemplo demonstratum legere ibi, qui volent, poterunt.

X. Longum esset omnia afferre, quæ hac de re apud Platonem alioſq; leguntur. Boëthius etsi Platonicus forte magis & ipse quàm Aristotelicus (quos autores parum inter se distare docturum se quodam loco promisit) repetit eadem *l. 3. de Consol. Philos. pro. 11. Et illud*, inquit, *quo solo mortalium rerum durat diuturnitas, gignendi opus, quod natura semper appetit, interdum coërcet voluntas, adeòhæc sui charitas, non ex animali motione, sed ex naturali intentione procedit. Dedit enim providentia creatis à se rebus hanc vel maximam manendi causſam, ut, quoad possunt, naturaliter manere desiderent.* XI. Cùm

XI. Cùm ergo finis primarius hujus societatis ipsa sit speciei conservatio, sine quâ nec mundus posset consistere, nedum ulla Respublica oriri, non erimus hoc loco in necessitate, utilitate ac dignitate conjugii demonstrandâ prolixiores. Jam olim Oratione egregiâ Metellus censor contemptores ejus refutavit, cujus inter alia & hæc fuêre ad populum Romanum verba: *Si sine uxore possemus, Quirites, esse, omnes eâ molestiâ careremus, sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illâ satis commodè, nec sine illâ ullo modo vivi possit, saluti perpetuæ potius, quàm brevi voluptati consulendum. Et persuasit censor facile & proclivitèr, civitatem salvam esse sine matrimoniorum frequentiâ non posse,* ait Agellius *l. 1. noct. Att. c. 6.* *Finis conjugii.* *Ejus necessitas.*

XII. Negari sanè nec potest nec debet, infinita ferè incommo- *Non est fugiendum ob adjuncta*

incommoda. moda hanc societatem facto quasi agmine stipare, pleni enim omnes libri sunt harum querelarum: An ideo sobolis propagatio ab ipso DEO primis parentibus cum benedictione *Gen. 1. v. 28.* injuncta cessabit? Mundum ipsum vitet necessum est, qui vitare velit molestias. *Mel nullum sine felle datur*, ait Mantuanus. *Et si curam fugimus, virtus ipsa fugienda est*, quæ, Ciceronе teste, *necesse est cum aliquâ curâ res sibi contrarias adspernetur atq; oderit.* Vita deniq; ipsa relinquenda erit, quâ nihil fragilius, nihil inquietius invenitur: quippe cujus initium cœcitas & oblivio possidet, progressum labor, dolor exitum, error omnia. Cæterum ita comparatum est nobiscum: in enumerandis beneficiis τῶν ἐχθίων ἀφωνότεροι, ad mala autem recensenda

da ipsâ facundiâ facundiores sumus. Ita & præsenti torquemur, & præterito futuroq; angimur, ut nil magis metuere videamur, quàm ne forte parum miseri simus.

XIII. Sit ergò matrimonium multis calamitatibus obnoxium; vocetur onus & sarcina in jure Canonico; vocentur conjugia *compedes nuptiales* ab Apulejo, *sint pedicæ*, sint servitus; dummodo & hoc è sacro codice discamus: Intelligentem uxorem à JEHOVA esse, & illam qui invenit, bonum & DEI favorem invenisse, habere ex eâ insignia commoda, beatitudinem, duplicem vitam, sortem bonam, sortem divinam, principium facultatum, adjutorium sibi accommodatum, columnã, in quâ conquiescat, & supra omnem nominis stabilitatem &

thesaurum positam. Itaq; concludat hunc locum Clemens Alexandrinus, qui 3 *Strom. in charitatem peccare* dicit, *qui propter molestias abhorrent à conjugio & fugiunt educationem liberorum.*

Ætas conjugio apta.

XIV. Dicendum nunc esset, quâ ratione, inter quos contrahenda sint matrimonia; sed quia temporis nobis habenda ratio est, pauciſsimis ea expediemus, multa in aliud tempus dilaturi. Et primo quidem quod *Ætatem* attinet, Aristoteles 7. *Polit.* affirmat, idoneam conjugio mulieris ætatem esse decem & octo annorum, viri triginta septem. Plato autem *lib. 5. de Rep.* mulierem vult esse viginti annorum, virum triginta. Hesiodus ὡρὴ ἔργων tempestivam conjugio ætatem fore putat, si conjuges nec multò minores trigesimo anno fuerint, nec mul-

multò fuerint majores. Matrimonia igitur nec præcocia, nec sera nimis esse convenit: magna enim utrinque proveniunt incommoda, quæ Aristoteles eo, quem dixi, loco eleganter satis demonstrat.

XV. Multis præterea disputari hoc loco solet de qualitatibus sponsarum, an attendenda forma, an divitiæ pensandæ, an genus spectandum, & quæ ejusmodi sunt alia. Ego paucis sic censeo. *De moribus præcipuè cogitandum* esse, decq; optimis fœminæ dotibus, fide, verecundiâ, castitate, modestiâ. Unde semper educatio intuenda, quæ si mollis nimium & delicata, facilè lasciviam parit, cùm negari planè non possit: pronum & breve iter ad impudicitiam esse delicias. Suspectus meritò est earum potius pudor, quæ in otio

Qualis ducenda uxor

Spectandi mores & educatio.

viventes ea tantùm parant, quibus & ipsæ sibi placeant, & placere aliis possint, quam quibus domesticas curas mater objicit, pensa, acus, colos, & si quid est operis, quod suaves ac molles manus in callum durare solet.

De Pulcritudine.

XVI. *Pulcritudinem* quod attinet & corporis formam, eam verò spernendam non arbitror, modò egregium domicilium egregius possideat hospes. Sicuti autem stultè agit, qui speciem bonis moribus ornatam spernit, ita prorsus insanire videtur qui illam solam, hisce neglectis aut insuper habitis, fundamentum amoris ponit. Non potest enim non esse inconstans amor, qui tàm fragili fulcro nititur. Et quid fiet de eo, si oris iste habitus colorque mutabitur? Cadit interdum aurea Cæsaries, reliquiæ tandem canescunt; tene-

ræ

ras dudum genas & serenam frontem rugæ occupant; lucida oculorum sidera caliginosa tegit nubes; dentes ebore candidiores situ obducuntur aut prorsus etiam haud raro excidunt. Nil ergo formâ, fœmineâ præsertim, fugacius est, ut rectè dixerit ille, *qui uxorem propter formam diligit, citò eandem oderit.*

XVII. Huc accedit, quod sicuti durum est ea custodire, quæ à multis appetuntur, ita plerumq;

Lusit cum formâ magna pudicitiâ,

ut ait Poëta. Ne nunc dicam de aliis incommodis dulce hoc venenum consequentibus, fastu, superbiâ, vilipendio mariti, aliis: Vix enim quicquam est, quod æquè animum muliebrē tumefaciat & extollat: Unde sumptuosi hujus Idoli cultores plerumq; ad uxoris edictum vi-

ve-

vere, & nutum dominæ ſuſpenſi obſervare, mancipia potius quàm mariti, coguntur. Anceps, inquis, uxoris electio: deformis facilè faſtiditur, formoſa difficulter cuſtoditur: ergò nulla forte ducenda? Ecce Phavorinus tibi apud Agellium *l. 5. c. 11.* reſpondet, & eam eligendam ſuadet, *quæ à nimio pulcritudinis periculo & ſummo deformitatis odio vacet.*

De Dote.

XVIII. In *Dote*, ſi qua adeſt, qualitatem potius, quàm quantitatem eſſe ſpectandam exiſtimo; videndum ſcilicet unde profecta, quibus comparata modis: malis enim artibus conquiſita rarò ſolet diuturnare, vix unquam ſequitur hæredé: ambulatoria eſt, & (ut Flaccus loquitur)

——— *momento labilis horæ*
Tranſmutat dominos, & cedit in alterajura.

Quin

Quin & importunius nihil, nihil intractabilius esse novimus uxore dotatâ, præsertim si maritus dives non fuerit: suas enim opes egestati comparat mariti, & quia de suo illum pascit, dominam se non sociam arbitratur. Illud ergò Petrarchæ mihi arridet: qui *melius esse*, ait, *cum inopi requiescere, quã laborare cũ superbâ; melius esurire cum pauperculâ humili, quàm cũ insolenti divite litigare.*

XIX. Uno verbo: malè agunt & seipsos eunt perditum, qui neglectâ virtute solam Dotem & Formam attendunt, id est, Avaritiam & Libidinem, pronubas profectò conjugiis hisce dignas, ubi non tam viro uxor, quàm pecunia nubit avaritiæ. De Genere denique seu *Familiâ De Genere.* si quæris: Spectanda honestas potius est, quàm celebritas, præsertim cùm uxor à marito,

non

non verò hic ab illâ denominari soleat. Etsi aliàs etiam splendor alterius neminem clarum reddere possit, nisi & ipse splendeat, nec veram laudem, nisi de proprio sumserit, ab alio quisquam expectet. Istud suadeo *Si cupis uxorem ducere, posce parem*, vel saltem teipso non superiorem.

Essentialia matrimonii.

XX. Quod ipsam *matrimonii essentiam* attinet, dicimus eam *à consensu contrahentium arcessendam esse*. Id enim & jus Canonicum statuit, & civile multis in locis confirmat, & sacra etiam scriptura passim, ac præcipuè *Genes. 24.* haud obscurè approbat. Ratio est in promptu. Cùm enim omnes contractus spontanei secundum JCtos à consensu dependeant, *l. 1. §. conventionis. De pact. l. consensu junct. l. seq. de act. & oblig.* non poterit idem non esse

esse verum de conjugio, quod meritò contractuum contractum vocari existimamus. An autem de consensus essentiâ sint expressa verba, an verò ex aliis etiam signis judicari de eo possit, ardua est inter Politicos disceptatio. Plerique tamen in eâ sunt sententiâ, cui & nos subscribimus: matrimonium etiam sine verbis posse contrahi solo nutu; præsertim à parte puellarum, *quarum multæ*, ut loquitur glossa *in cap. pen. de sponsi. propter verecundiam annuunt potius, quàm loquuntur.*

XXI. Nec iis tamen assentiri possumus, qui ex osculo dato annulove donato matrimoniũ contractum concludunt. Nisi utrumque puella vel fœmina quævis cum expressâ mentione conjugii acceperit. Quòd si verò consuetudo alicubi non pa-

patiatur gestare annulos ; nisi sponsas, aut si tali sit fabrefactus formâ annulus, quali solent signari tantùm ii, qui vel à sponsis gestantur, aut sponsis arrhæ loco donantur, aliter fortè judicandum erit. Sed de his ut & de ceteris, quæ pertinent ad essentiam matrimonii, de ejusdem solutione, de divortiis eorumq; causis videri eruditissimus Arnisæi de Jure connub. tractatus debet, omnia enim nostris dissertatiunculis includere instituti ratio & paginarum angustia non admittit. Multo minus explicari hîc potest triplex illa contrahendi matrimonii ratio apud Romanos olim usitata, per *usum* videlicet, per *Confarreationem* & per *Coemptionem*; de quibus omnibus quicquid scire curiosus lector velle posset, scripsit eruditè copioseque Brissonius

nius in eo libro, quem de ritu nuptiarum evulgavit. Imò multa hîc omittere coacti sumus, quæ ex ipso Aristotele tradi non tantùm potuissent, sed fortassis etiam debuissent. Tantum de primâ societate simplici.

XXII. Altera δεσποτικὴ seu *herilis* est, quam inter dominum & servum esse docet Aristoteles *1. Pol. c. 3.* Et definitionem quidem servi (de quo prius agit, quàm de Domino, non quòd hoc sit dignior ille, sed quòd ministerii necessitate primas obtineat) postea hanc proponit, quod *Servus sit instrumentum Domini sui animatum, ratione præditum, aptum ad aliquid agendum, naturâ quidem in ejus potestate existens, sed tamen ab eodem separatum.* Cùm enim sine rebus ad vitam necessariis nemo vel vivere, nedum benè vivere possit, adeoq; vi-

Societas herilis.

Servus definitur.

Necessarius familiæ.

vivendi quasi instrumentum quoddam sit possessio, quam solus Dominus acquirere aut conservare non potest, servo opus habet, quo tanquam vicario utatur, cùm ipse simul in omnibus locis esse nequeat.

Servitutis origo.

XXIII. Cùm autem inter alia hujus definitionis membra dicatur servus ratione præditus, unde non minus hominem esse eum constat, quàm Dominus, dubitari possit, an naturâ sit aliquis talis an fortunâ, vel casu tantùm, seu hominum instituto? JCti quidem contra naturam esse servitutes asserunt. *Servitus enim*, ait Imperator §. 2. *Inst. de J. pers. est constitutio Juris gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam subjicitur*, quæ verba etiam habentur *l. 4. §. 2. ff. de statu hom. Et l. 32. ff. de R. I.* expressè dicitur servos quidem, quod jus Civile at-

ti-

tinet, pro nullis haberi, non tamen de jure naturali, quia quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales sunt. Et hoc etiam innuere Seneca videtur, tùm *l. 3. de benef. c. 19. & 20.* tùm in epistolâ quadam, ubi dicit: *Quid est eques Romanus, aut libertinus, aut servus? nomina ex ambitione aut ex injuria nata?*

XXIV. Aristoteles contrà esse aliquam servitutem secundum naturam probat, eamque societatem, quæ inter dominum & servum est, utriq; parti naturaliter prodesse dicit, quòd non tantùm Dominus ingenio excellat, atque consilio, robore autem & viribus corporis servo sit inferior, adeoque hoc tanquam ministro opus habeat, sed etiam quòd servus ingenio minus valeat, nec sibi ipse prospicere & consulere possit, adeoq; *Sunt quidam natura servi.*

adeoq; domino veluti consiliario indigeat: ut ita utriq; parti & domino & servo naturaliter utilis & necessaria sit hæc conjunctio. Unde apparet hanc Philosophi sententiam cum JCtis non pugnare, cùm de vocabulis potius, quàm re ipsa lis esse videatur. Aristoteles enim naturâ servos appellat, non qui actu serviunt, quivè ex ancillis nascuntur, sed eos, qui cùm propter rationis & ingenii imbecillitatem, neque sibi ipsis, quæ utilia sunt, prævidere, neq; etiam seipsos aut alios rectè regere queant, ejusmodi tamen corporis robore, & viribus præditi sunt, ut & labores perferre, & aliorum mandata exequi valeant. De quibus Seneca *Ep. 8. Imbecilles sunt animo*, ait, *quorum lacertos humerosq; miramur.*

Philosophi & Jurisconsulti conciliantur.

XXV. Et quid opus ista proba-

bare uberius? adspice infimam vulgi fecem & rusticorum manipulos, multos profectò animi usq; adeò impotentis advertes, ut nec suis commodis prospicere, nec in longitudinem consulere valeant. Quos, ut loquitur, quem jam laudavimus, Romanorum sapientissimus, c. 5. de vitâ beatâ, *in numerum pecorum & animalium redegit hebes natura & ignoratio sui. Nihil interest inter hæc & illa. Quoniam illis nulla ratio est, his parva & malo suo atq; in perversũ solers.* Hi ergo ad eorum opem naturaliter confugiunt, qui ad consulendum aliis ab ipsâ naturâ facti videntur, ut ab iis opem ac solatium petant, adeoq; ejus felicitatis, quam sibi relicti expedire nequeunt, aliorum subsidio fiant participes. Idq; etiam agere eosdem non consilio ductos, sed brutæ naturæ impetu

comitatos Plato, Aristoteles atq; alii solidæ eruditionis proceres passim inculcant.

XXVI. Agunt id accuratissimè, Plato quidem *l. 3. de ll.* Aristoteles autem *l. 1. Polit. c. 3. & 4.* ubi inter alia dicit multos mortalium ita natos esse ad servitutē, ut ne possint quidem ferre libertatem, cùm regere sese & suo arbitrio rectè uti prorsus
NB. nesciant. Atq; utinam naturæ ductū sequerentur hodiè multi, neque imperium eorum, qui salutaria præscribunt, tam immoderatè ferrent; non tot fortasse crucibus, non tot patibulis, non tot rotis, non tot (uno verbo) carnificibus opus esset ad coercendos eos, qui omni facultate consultandi destituti præter vitam & libertatem nihil possident, quos ad quodvis audendum scelus egestas liber-

tati

tati conjuncta impellit. Verum enim verò ubi semel libertatis personam licentia sumsit, quilibet sibi sapit, sibi consulit, sibi ipsi vivit: Vivit, inquam, sed vitam brutis libidini parentibus familiarem potius, quàm homine rationi obsequente dignam. Quâ de re pluribus dicendi locus alibi erit commodior.

XXVII. Quemadmodum igitur omnes sapientes è Stoicorum sententiâ liberos esse docet Cicero, ita Aristoteles omnes insipientes servos esse probat, non quòd actu tales sint, sed quòd tales esse meritò debeant. Atq; hæc est servitus naturalis, cui & ipse cap. 4. opponit Legalem, sic appellatam, quòd lege, consuetudine & instituto hominum sit introducta & recepta. Et qui hoc modo

Servitus legalis.

ſervi ſunt, non tam à ſerviendo, quàm à ſervando dicuntur: quia cùm ab hoſte potuiſſent occidi, ſervati ſunt ad vitam, ait Imperator *Inſt. de J. Perſ.* Atque illi quidem aut Jure Civili, aut Jure Gentium ſerviunt: qua de re pluribus hîc agere ſupervacaneum eſt, præſertim cùm ejuſmodi ſervitutes, quales olim in uſu erant, apud Chriſtianos hodie non reperiantur, idque tùm propter charitatem Chriſtianam, tùm propter æquitatem ſeu juris mitigationem, quam ipſe etiam Ariſtoteles 5. *Eth. c. 10.* ipſi Juſtitiæ ſeu Jutis vigori non rarò præferendam ſuadet.

XXVIII. Sanè tales ſervi, quales apud Romanos olim omneſque gentiles habebantur, quorum adeò miſera conditio erat, ut & pecudibus & mortuis compararentur, inutiles potius

ſunt

sunt & pernicioſi Reipublicæ, quàm ut emolumentum aliquod afferre ei poſsint. Unde Ariſtoteles 2. *Polit. c. 7.* ubi Spartanorum Rempublicam examinat, inter alia illud etiam in Lycurgo reprehendit, quòd nimiâ multitudine ſervorum impleverit Rempublicam. Deſtructo enim oppido Helo Spartani omnes incolas captivos ſecum abductos in vicinos pagos diſtribuebant, eorumque operâ in colendis agris aliisq; ſervilibus negotiis utebantur, quos deinde ab origine ſeu patriâ vocabant Helotas. Hi poſtea contra Spartanos conſpirationem faciebant, & Meſſeniis hoſtibus eorum ſeſe adjungebant maximo cum Reipublicæ detrimento: id quod & Theſſalorum ſervi, quos ἀπὸ τῆς πενίας, à paupertate, Peneſtas appellabant, præ-

Servorum multitudo noxia.

ſtitêre. Ut videre eſt l. c. apud Philoſophum.

XXIX. Tantum de ſervis; unde etiam facile per ſe patet, quid ſit Dominus, cùm hæ duæ perſonæ in numero relativorum ſint, adeoq; ſe mutuò explicent. Quæ autem Ariſtoteles *Cap. 5. 6. & 7.* de ratione acquirendi & uſurpandi res domeſticas ſeu poſſeſſiones addit, cùm ad œconomicam potius, quàm Politicam pertinere videantur, volentes ſicco præterimus pede. De *parentum* adhuc *& liberorum ſocietate* nonnihil dicendũ. Docet ergò Ariſtoteles *1. Pol. c. 8.* Hoc eſſe diſcrimen harum ſocietatum, quòd imperium mariti in uxorem ſit quaſi Politicum, conjuges enim inter ſe communicant conſilia & rem domeſticam communiter adminiſtrant; Domini autem in ſer-

Societas parentum ac liberorum.

servum sit quodammodo tyrannicum, præsertim si durus sit & severus homo; parentis deniq; in liberos Regium, quòd pater non solùm autoritate & prudentiâ, sed benevolentiâ etjam & amore ita sese erga liberos suos gerere debeat, quemadmodum rex sive Monarcha erga suos subditos.

XXX. Unde jam per se manifestum est; primò Liberos esse in potestate parentum: cujus rei rationem Philosophi quidem ex Jure naturali petunt; nam ut loquitur Aristoteles, *Naturâ præest pater filiis, & majores nepotibus*, pleriq; autem JCti è civili jure eam accersunt. Nos cum Philosophis facimus, & patriam potestatem longè lateq; limites Romanæ Reipublicæ transcendere statuimus, cùm apud omnes gentes liberi

Liberi sunt in potestate parentum.

Idq; naturâ non legibus tantum.

Patria potestas iniqua apud Romanos.

sint in potestate parentum. Neque verò eò usq; extendi ea debet, quò à Romanis fuit extensa, qui jus vitæ & necis in liberos parentibus attribuebant; id

Et quare?

enim & naturali pietati repugnat, & ideo admittendum non est, quòd nemo sibi suisq; partibus vim inferre possit; Partes autem parentum esse liberos, non tantùm JCti asserunt, sed Aristoteles etiam diligenter inculcat *8. Eth. c. 10.* Ceterùm quibus in rebus patria potestas consistat, à JCtis peti debet.

XXXI. Deinde & illud constat, atq; hîc explicari debet, ad quid parentes liberis, & hi illis contrà obligentur. Parentis itaque officium respectu liberorum in tribus beneficiis, quæ maxima vocat Aristoteles *8 Eth. c. 9* consistit: Nempe in Generatione, Nutritione & Institutio-

Parentes quid debeant liberis.

tione, quæ omnia tanta sunt, ut quicquid liberi rursus benefaciant parentibus, id non tam sit benefacere, quàm beneficium reddere, adeoque nihil à nobis referri genitoribus nostris possit, quod non ab iis anteà acceperimus. De primo atq; secundo videatur Arnisæus *select. Polit. l. 1. c. 4. Sect. 4.* de tertio autem peculiarem DEO volente paulo inferius disputationem instituemus. Liberi verò parentibus obligantur, ut retribuant pro virili, quantum acceptum fuit, aut si id necessitas non requirat, honorem, cultum, reverentiam & obsequium semper iis debent. Unde cùm Solon inter leges suas nullam faceret parricidii mentionem, ejusq; rei causam rogaretur, existimasse se respondit neminem repertum iri, qui tam malam reddi-

Quid contra parentibus liberi.

turus sit parentibus gratiam.

XXXII. Hæ sunt societates primæ ac simplices, è quibus domus seu familiæ constituuntur. Est autem *Domus*, secundum Aristotelem, *communio seu societas hominum naturalis ad quotidianam vitæ usum constituta.* Societas seu *communio* ideo vocatur, ut est notissimum, quòd domestici pleraq; habeant communia, *in usum diurnum* constituta dicitur, ut à civili societate distinguatur, quæ non unius atq; alterius hominis utilitatem, sed totius gentis sæpe ac regni, non unius diei aut exigui temporis, sed aliquot seculorum perpetuam felicitatem spectat. E multis domibus oriri docet Philosophus 1. *Polit. c. 1. & 2.* τὴν κώμην, quã pagum alii, elegantius Cicero *vicinitatem* interpretatur, ex multis porrò vicinitatibus ci-

Domus quid sit?

Quid pagus?

vi-

vitatem, ut ita vicus seu pagus quasi inchoamentum quoddã sit civitatis, ortum vel ex eo, quòd aliunde contrahantur à familiis fraternitates, vel quòd sæpe ex unicâ familiâ tàm copiosa prodeat proles, ut unâ domo capi nequeat. Unde definitur *prima societas naturalis ex pluribus domibus non diurni solùm sed diuturni etiam usus gratia constituta.* Neq; designat hæc congregatio hominum aliquam conjunctionem, quæ specificè sit â civitatis multitudine aut amplâ familiâ distinctâ, sed nudum eorum conventum, qui cùm ad sufficientiam civitatis satis instructi nondum sint, vel partem aliquam ruris pastus gratiâ communiter possident, vel fluentem accolunt.

XXXIII. Quæ etiam causa est, cur Aristoteles tam conci-

ſus ſit in hac materiâ, ut nil niſi nomina tantùm pagorum aut vicorum proponat, quibus expeditis ad ipſam ſtatim civitatem revertitur, cujus eam tradit definitionem, quam initio hujus diſſertationis propoſuimus. Mirum autem videri poſſet, quî tàm copiosè probet Civitatem eſſe priorem domo, cùm tamen è domibus, & quidem non immediatè, ſed intervenientibus demum pagis eandem oriri antea dixerit? Ergoné prius eſt aliis id, quod ex aliis iſtis tantùm proficiſcitur, imò quòd non niſi ad illa alia conſequitur præſuppoſita? Sunt qui vix ſibi temperant, quin Philoſophum ſibi non conſtare hoc loco, ſed potius pugnantia dicere aſſerant. Quæ tamen difficultas tanta profectò non eſt, ut ſolvi non poſſit, ſi modò ab ipſo

An civitas prior domo?

hoc

hoc autore, quot modis aliquid prius altero dicatur, didicerimus.

XXXIV. Est nempe aliquid altero prius: 1. *Ratione perfectionis*, quemadmodum omne totum partibus suis prius dicitur, tum quòd eas includat, tùm quòd sublato illo omnes quoq; istæ intereant. *Nam si tollas totum*, ait Philosophus, *non est pes, neq; manus, nisi æquivocè, quomodo etiam lapidea manus, manus dicitur: hæc enim (vera sülicet) interiit.* Omnia enim talia per operationes suas atq; officia definiuntur. Deinde *Ratione intentionis*, sicuti finis semper prior est quoad intentionem consultantis, etiamsi sit posterior quoad operationem seu ejusdem executionem. 3. Denique *Ratione generationis* seu compositionis, quomodo priora semper sunt simplicia, eô

Quot modis aliquid prius dicatur altero.

quòd ex istis componitur. Primus & secundus modus prioris civitati competit, tertius non item. Id quod innuit Aristoteles ipse, cum non simpliciter civitatem domo priorem esse dicit, sed addit vocabulum τῇ φύσει, i.e. Naturâ seu intentione naturæ, ipsaq; adeo dignitate atque præstantia. Unde etiam *l. 1. de cœlo. c. 2.* Naturâ perfectum prius esse imperfecto dicit. Et *1. Meta. c. 7. t. 14. l. 8. Phys. c. 7. t. 58.* id prius naturâ esse ait, quod posterius est ortu.

XXXV. Itaq; ut contrahantur, quæ fusius dicta sunt, Civitas è pagis, pagi è familiis, familiæ è societatibus simplicibus coalescunt, & semper tamen id, quod posterius est, ordine generationis, prius est & præstantius ordine naturæ seu intentionis. Agi hîc à nonnullis so-

solet de Civibus eorumq; differentiis. sed cùm ista intelligi rectè nequeant, nisi cum respectu ad formam, rejicit hanc considerationem Aristoteles in lib. 3. ubi inter alia multis verbis docet in optimâ Republicâ nihil inter bonum civem & bonum virum interesse. Nam in Republicâ optimè institutâ nihil est utile, quod non sit honestum: itaq; bonus civis ab officio boni viri discedere non cogitur. Cicero autem *l. 1. ad famil. ep. 9.* Bonum civem à Bono viro distinguit, quia patriæ simul & Amicitiæ satisfacere non possit. Verùm duobus propositis honestis minori majus præferendum esse nemo dubitat. Itaq; major patriæ quàm amicitiæ habenda est ratio. Quod ipse etiam *libro 3. Offic.* declarat: ubi quæ videntur, inquit, utilia, honores, divitiæ,

Bonus civis interdum à bono viro non distinguitur.

tiæ, & voluptates & cetera generis ejusdem, hæc amicitiæ nunquam anteponenda sunt. At neq; contra Rempublicam, neq; contra jusjurandum ac fidem amici sui causâ vir bonus faciet. Verùm hæc aliò spectant. Nos dissertationi de Objecto Politicę Colophonem imponimus, & grallatorio gradu ad Rempublicam ipsam properamus.

DIS-

DISSERTATIO III.

De REPUBLICA EJUSQUE SPECIEBUS.

Respondente

DAVIDE DRACHSTEDT
Halâ-Saxone.

Aphor. I.

DE Subjecto Reipublicæ deq; ejus autore DEO & Natura dictum pro instituti ratione, ni fallor, satis est: nunc de formâ ipsâ, quæq; ab eâ proficiscuntur divisionibus paucis est agendum. Quid autem sit Respublica, & quot modis vocabulum illud accipiatur, *dissert. 1. aphor. 18. & 19.*

& 19. indicavimus, nec opus esse putamus, ut pluribus ea repetantur, sed de speciebus ipsis nonnihil acturi summa tantùm capita delibabimus, quæq; fundamentorum instar in hac Materiâ occurrent, ex 3. & 4. *Polit.* brevibus excerpemus. Forma itaque dicitur à Platone & Aristotele, quòd sit ipsum τὸ εἶναι seu essentia ex hominibus ordinatum constituens cœtum, quæ quamdiu eadem permanet, eadem etiam manere Reipublicæ species dicitur, sin autem mutatur; alia quoque Respublica oritur, utut ædificia, mœnia, subsubia ipsiq; adeò homines perseverent iidem.

Resp. cur forma dicatur.

II. Ad ipsam verò divisionem antequam deveniamus, observandum est quod Aristoteles monet 3. *Polit. c.* 11. Quemadmodum ratio domestica domus

est

est quoddam regnum, sic & regnum gentis & civitatis unius aut plurium, esse rationem domesticam, ut ita domestica imperia typi quidam sint & quasi simulacra gerant Rerumpublicarum, & ex illorum similitudine species harum adumbrari possint. Sicuti namq; in domo imperium aliud, Herile nimirum, suam salutē spectat, aliud verò, videlicet Patrium, publicum omnium domus membrorum seu partium commodum intendit: ita in rebuspublicis aliis privata imperantium utilitas, in aliis publica spectatur. Unde *prima* statim *Rerumpublicarum divisio* emergit, quâ aliæ *laudabiles & rectæ*, aliæ verò *aberrantes & vitiosæ* statuuntur. *Resp. alia laudabilis, alia vitiosa.*

III. Utræq; pro diverso regentium numero etiam diversæ sunt, diversasque nanciscuntur

Divisio Rerump.

appellationes. Etsi enim Aristoteles sibi ipsi hac in re constare non videatur, quando id statuit 4. *Polit. c.* 4. quod 3. *Polit.* 5. rejecerat, facilè tamen illud demonstrari potest, quod nos statuimus, & ipse etiam 3. *Polit. c.* 7. affert, nempe *Necessum esse, ut vel unus, vel pauci, vel omnes imperent,* cùm ipsa essentia Reipublicæ in ordine imperandi ac parendi consistat. Si igitur omnis ordo, ut è 5. Metaph. discimus, in uno aliquo primo consistit, idem etiam de Republicâ verum erit, quæ & ipsa ordo quidam est, in quâ datur aliquod primum, quod ceu caput præest membris reliquis, quæ, etsi diversissima, hoc ordine tamen velut animâ copulantur, vinciuntur, vegetantur. Caput hoc Magistratum vocare solent, qui cùm principaliter in personis requi-

quiescat, variatis secundum numerum personis, Rempublicam quoque variari necessum est. Unde tres Rerumpublicarum nascuntur formæ: *Monarchia*, in quâ unus, *Oligarchia*, in quâ pauci, & *Status popularis*, in quo omnes reipublicæ præsunt.

IV. Receptissima hæc est divisio, quam etiam Plato agnoscit, quando Urbium quasdam ab Optimatibus administrari docet, quasdam à populo, quasdam ab uno, etsi eandem ad ἀκροσίαν revocat *l. 3. de ll.* ubi Duæ, inquit, *sunt quasi matres Politiarũ, ex quibus qui alias omnes progenitas dixerit, rectè dixerit. Et hanc quidem appellari Monarchiam rectam, illam verò Democratiam seu populi regimen: & illius quidem summam Persarum natio, hujus nos tenemus.* Ex quo apparet, non esse immediatâ seu pari amplitudine disidentia *Species non sunt immediatè oppositæ.*

tia datæ Divisionis membra, sed ita etiam proponi posse, uti dicatur: Respublicas omnes vel gubernari ab uno, vel à pluribus; plures illos aut esse omnes, aut Aliquos, ut ita duæ exinde rursus exurgant species, (ἀρχὴς τῶν πλειόνων) Imperii plurium, Optimatum nempe & Regimen populare.

V. Non nescio equidem eundem Platonem alibi septem constituere formas, nec non alios quinq; sex aut octo excogitâsse; interim ut aliquid certi hac de re habeatur, maneat nunc, quæ ab omnibus recepta est divisio, ad quam plenis velis approperant non Græci tantùm pleriq;; Æschines, Isocrates, Xenophon, Plutarchus, &c. sed Latini etiam, Cicero, Seneca, Tacitus, Augustinus & alii. Illud omittendum non est, quin mo-

Tria notanda.

moneamus: 1. Eam Reipublicæ speciem, quæ ab Aristotele Monarchia appellatur, ab aliis vocari Tyrannidem. 2. Paucorum statum nobis Oligarchiæ nomine denotari, quam Aristoteles pro corrupto statu accipit, sicuti contrà Aristocratiam pro regimine benè constituto paucorum. Et 3. Deniq; totius populi imperium Democratiam aliàs vocari, Aristotelem verò illud nomen ubique ferè provitio usurpare, benè autem constituram populi administrationem communi πολιτέας nomine denotare. Ut ita sub his nostræ divisionis nominibus non bonæ tantùm comprehendantur Respublicæ, sed etiam aberrantes: quarum tamen natura explicatis rectis ultrò sese ostender.

1.

2.

3.

VI. Nunc breviter, ut dixi,

ex

ex Aristotele partim, partim aliis optimæ notæ Politicis singulas videbimus à Monarchiâ initium facientes, quam *ex 3. Polit. c. 10.* definimus eam *Rempublicam, in qua omnia gubernantur imperio unius, penes quem residet suprema & libera potestas, indeq; in omnes Reipublicæ partes tanquam à fonte in canales derivatur.* Dividitur illa in βασιλείαν seu *Regnum*, δεσποτείαν seu *dominatum*, & *Tyrannidem*. Regnum porrò quadruplex eodem loco statuitur, Laconicum, Barbaricum, Æsymnetia & Heroicum; quibus postea capite sequenti quintum addit, cui παμβασιλείας nomen injungit, & propriè regni definitionem competere demonstrat, ideoque remotis reliquis in eo explicando totus occupatus est. Quod cùm instar normæ sit reliquarum Monarchiæ specierum,

Monarchia quid?

Quotuplex.

rum, definitur talis per unum hominem reipublicæ administratio, quę communem parentium utilitatem spectat.

VII. Hoc igitur inter legitimum regnum & illegitimum seu tyrannidem interest, quòd Rex subditorum, Tyrannus privatum bonum quærit. Sicut enim Tyrannus libidine dominandi, quâ genus humanum conteritur, aliisq; quæ tantùm videntur bona, fascinatur; ita Rex solâ subditorum salute excitatur, ut in eorum utilitatem & commodum omnes suas dirigat actiones. Et quemadmodum *justum* videtur Tyranno, quicquid sibi est utile; ita verus Rex Platonis hoc definitum observat: *Justum, est constituti imperii utilitas.* Id quod Antigono etiam ignotum non fuit, quum filium suum ita allocutus est: *Rex à Tyranno quid differat?*

Scito fili regnum noſtrum ſplendidam eſſe ſervitutem: fatetur ſcilicet, quod res eſt, regem perinde ſubditorum ſpectare felicitatem debere, atq; ſervus Domini utilitatem, non ſuam reſpicere aſſolet. Sed verba factis non reſponderunt.

Regis proprium.

VIII. Et ex hac quidem Regis deſcriptione Ariſtoteles primum hoc & inſeparabile ejuſdem deducit accidens, quod nempe ſubditi non tantùm eum ament, ſed etiam voluntariè ſe illi ſubjiciant. Unde & alterum diſcrimen inter Regem & Tyrannum deducit 3 *Polit. c. 10.* Et illum quidem cuſtodiâ civium uti, hunc verò ab exteris peregrinisque defendi aſſerit. Rex enim, qui cives omni officiorum genere ſibi devinctos habet, nullis ſalutem ſuam tutius credere, quàm civibus po-

te-

terit: at tyrannus, quem cane pejus & angue cives oderunt, ad externam confugere opem cogitur: semper enim in metu est, quippe cujus status laboriosus, rara lætitia, infelix exortus, miserrimus sit exitus. Ut namq; omnibus libertatem, omnibus quietem, ita sibi præcipuè securitatem aufferunt Tyranni. Unde si per orbem universum oculos circumferimus, omnes ferè ante fata sua ferro, resti, veneno, aut fœdiore nece sublatos cernimus. Ut non immeritò dixerit Satyricus:

Tyranni miseria.

Mors plerumq; violenta.

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt reges, aut siccâ morte Tyranni.

IX. Tyrannis itaq;, ut ex dictis colligitur, longissimè à Regno discedit, & ut 4. *Polit. c. 2. 8.* demonstratur, omnium Re-

Tyranni notæ vel characteres.

rumpublicarum peſsima eſt.
1. Eſt namq; Tyrannus 1. *Simulator*, qualis Nero, qui etſi immane monſtrum, & nil niſi lutum ſanguine ſubactum eſſet; tamen cùm damnationi duorum militum rogaretur ſubſcribere, *Quam vellem*, inquit, *neſcire literas*. 2. *Oſor Virtutis*, quia eminentes viros minuit & prudentes ac magni Spiritus homines
2. è medio tollit. 3. *Polit. c. 11. 3. Facit ſubditos ſuos puſillanimes*, abjectos & ſerviles, quo minus de libertate aſſerendâ cogitent, ut apud
3. Turcas, Moſcosq; videmus. 4. *Rerum gerendarum poteſtatem omnibus auffert*, h. e. ut Ariſtoteles loquitur, ἀδυναμίαν τῶν πραγμάτων
4. introducit. 5. *Subditorum concordiam*, quippe quæ conſpiratio ſibi videtur, quantum poteſt,
5. *tollit. 5. Polit. c. 11. 6. Homines avaros, crudeles, ambitioſos* ad dignita-

tes

tes evehit, mox opibus atq; divitiis auctos, honoribus, bonis, vitâq; ipsâ exuit: Uno verbo: ministris utitur ut spongiis, & ut tandem concludam, DEO pariter & hominibus exosus est.

X. Ceterum medium locum inter Tyrannidem & Regium statum obtinent Dominatus, Regnum Barbaricum & Æsymnetia, etsi posteriora duo regiminis genera ad tyrannidem accedant propius. *Dominatus* sanè affinis est optimæ Monarchiæ, imò est Monarchia aliqua primariò quidem ad salutem principis, ex consequenti tamen ad publicam etiam civium felicitatem directa. Prioris respectu aliquo modo ad Tyrannidem, posterioris ad regnum accedit, unde ejus quoque proprietates imitatur cùm in vo-

Dominatus.

luntarios, non invitos, exerceatur. *Barbaricum* verò regnandi genus & *Æsymnetia* 3. Pol. c. 10. & 11. explicata, quatenus à curâ totius civitatis se avertunt, eatenus tyrannidi prorsus assimilantur. Cùm tamen ab alterâ parte etiam regium aliquid habeant residuum, quod Aristoteles ex autoritate legum & civium subjectione voluntariâ colligit, idcirco consummatam tyrannidem non faciunt, sed ab eâ aliquo modo saltem ut gradus distinguuntur. Tantum de Monarchia.

Regnum Barbaricum & Æsymnetia.

Oligarchiæ species.

XI. Sequitur *Oligarchia* i. e. eâ Reipublicæ species, in quâ plures quidem nec omnes tamen summæ rei præsunt, aut præesse possunt. Eam in Aristocratiam & Oligarchiam in specie sic dictam, vel si licet excogitare nomina, πλειαρχίαν dispesci-

scimus. *Estq; Aristocratia imperium paucorum optimum publicum spectantium.* Etsi autem Aristoteles *lib. 4. Pol. c. 7.* talem Rempublicam ab iis gubernari debere statuat, qui, ut ipse loquitur, sint viri simpliciter & secundum virtutem optimi, non qui ex hypothesi, seu ad certum aliquem finem sint boni, non videtur tamen tanto rigore id observari posse, cùm non minus impossibile foret ejusmodi regimen, quàm illud cujus Plato nobis idæam reliquit, quod tamen nunquam visurum Solem fassus est ipse. Quamobrem optimos judicabimus eos, qui si cum aliis comparantur, minus sunt mali, aut qui plura, quàm plebs infima aut de vulgi fæce homines, virtutum argumenta præbent. *Aristocratia.* *Optimates qui sint?*

XII. Distribuit porrò Philo-

Aristocratiæ gradus. sophus Aristocratiam in quatuor quasi distincta genera, quę tamen gradus potius quidam sunt, secundum quos una dicitur alterâ vel pejor, vel melior: ut ita quò quæ propius ad optimam accedit, eò melior, quò longius distat, eò deterior habeatur, *4. Polit. c.* 11. 1. *Prima* itaque & quidem absolutè seu principaliter Aristocratia dicitur, in quâ solius virtutis habetur ratio, quamq; homines simpliciter optimi administrant. 2. *Secunda*, in qua præter virtutem etiam attenduntur divitiæ. 3. *Tertia*, in qua opibus virtuti & populo mandantur Magistratus: qualis Carthaginensium fuit, potens satis, &, quod rarissimũ, tam diuturna, ut nulla hactenus imitari eam nisi Veneta potuerit, quæ tamen & ipsa ex omnibus potius formis Harmonia

nia quædam, quàm pura Aristocratia esse videtur. *Quarta*, ubi partim virtutis, partim libertatis habetur ratio. Unde apparet Nobilium quidem & Divitum rationem haberi posse & debere, & legitimam tamen servari Reipublicę formā, modò commune bonum spectetur. Et meritò optimates censentur illi, non ideo quòd divites sint aut nobiles, sed quòd institutione, indole & potentiâ alios, saltem ut plurimum, antecedant. 4.

XIII. Quin & æquitas ipsa postulare videtur, ut qui plus commodi Reipublicæ afferre possunt, & revera etiam afferunt, ii in honoribus quoq; & Magistratibus capiendis primas obtineant partes, & ut sint penes eosdem commoda, penes quos sunt majora pericula. Sanè tempore belli equos alere *Nobilium habendæ ratio in Aristocratia.*

& gravem curare armaturam, pauperum non est, sed eorum qui lautioris sunt fortunæ: quique ideo acriores ad patriam defendendam hostemq; arcendum stimulos sentiunt, quòd suas fortunas opesq; non spernendas in ea tanquam matris gremio positas habeant, cùm contrà inopes suo labore victitantes non multum sese patriæ debere existiment, & facilè patriam aliam reperiant, ubi suis manibus alimenta sibi querant. Ut ita divites quidem imperare possint ac nobiles, & tamen imperium manere (ut jam dixi) Aristocraticum queat, si non imperent ad utilitatem divitum, sed universorum. Tum autem revera in πλουτοκρατίαν, seu, ut Aristoteles vocat, Oligarchiam degenerat, quando divitum i. e. imperantium utilitatibus

Plutarchia quando oriatur.

bus tantùm consulitur, subditi aut negliguntur aut prorsus supprimuntur. Quâ occasione iniquissima quorundam conjuratio in populi perniciem facta legi potest apud Aristotelem 5. *Polit. c 9.* Ubi *nonnullos jurare solitos* ait, *populo infensos sese fore, & quacunq; in re incommodare ei potuerint, toto id facturos animo.*

XIV. Solent hoc loco prudentiores Politici aliquot præcepta suppeditare, quibus observatis facilius in suo statu Aristocratia (quæ plurimas ob causas interitui obnoxia est) conservetur, quorum paucæ tantùm, antequam hinc abeamus, annotabimus. 1. Igitur maximopere laborandum est, ut prima Virtutis ratio habeatur, omnisque simulatio tanquam pestis declinetur. Justitiâ namq;, æquitate, clementiâ, li-

Præcepta conservandæ Aristocratiæ.

beralitate, comitate, aliisq; virtutibus facilius animi civium capiuntur, quàm opibus, autoritate, potentiâ. 2. Nonnullis è populo pars aliqua officiorum Magistratuumq; committenda est: sic enim populus non tantum non sentiet esse Aristocratiam, cùm contribules suos participes honorũ videt, sed multi etiam spe allecti favebunt optimatibus, quippe à quibus & ipsi honoris nonnihil expectent, 3. Prospiciendum est diligentissimè annonæ, dandaque opera, ut quæ ad victum necessaria sunt non tantùm copiosè advehantur, sed etiam parvi veneant: fieri enim non potest, quin subditi filiorum more venerentur optimates, si tàm paternè eos prospicere civibus intelligant. 4. Fugienda ante omnia alia vitia superbia est, & à puc-

2.

3.

4.

pueris adsuefaciendi Optimatum filii, ne cives civiumq; liberos contemptim habeant aut subsannent: quod præceptum non observatum multas Respublicas perdidit, Romam ipsam non leviter labefactavit. Reliqua, etsi optima, lubens transeo, si quis tamen ista diligenter observaverit, non dubito, quin magnum operæ sit habiturus aliquando precium.

Respublica propriè dicta.

XV. Ad *Statum popularem* pergimus, *qui* ejusmodi *est Reipublicæ forma, in qua omnes aut maxima ēta. pars civium dominantur.* Distinguitur in πολιτείαν propriè sic dictam & oppositam ei Democratiam. *Politia* est imperium multitudinis ad communem utilitatem directum, quemadmodum è Philosophi verbis colligi potest *Pol. 3. c. 7.* ubi communi omnium Politiarum no-

mine eam Reip. formam vocari dicit, in quâ multitudo in publicum bonum civitatem administrat. Infirma est atq; instabilis admodum hæc respublica, nec facilè conservatur, nisi optimi quiq; è populo sortiantur Magistratum, quorum electio comitio omnium instituatur, multiq; & graves viri ordinentur, qui à Magistratibus Reipublicæ administratæ rationem exigant, exactam tribubus exhibeant ac probent. Neque enim alia sunt regiminis *hujus fundamenta*, quàm *Libertas & Æqualitas*, quibus sublatis aut insuper habitis non potest quin pessum eat id ipsum, quod superstruitur.

Ejus fundamenta.

Æqualitas. XVI. *Æqualitas* in eo consistit ut omnes vicissim imperent & pareant: Hanc verò difficile obtinere potest populus, cùm pau-

pauci in eo reperiantur optimi, reipublicæ autem semper interſit, ut imperandi vices ad optimos deveniant. *Libertas* facilius conſervatur, modo illam in eo verſari exiſtimes, non ut pro arbitrio vivas, aut in tuâ ſis poteſtate, ſed legibus adſtrictus ita Magiſtratui ſubjiciare, ut tibi quoque imperandi poteſtatem, modò dignus ſis, non denegarum iri ſcias. *Utiliſſimum certè eſt*, ut ait Plato, *etiam in ipsâ libertate ab alieno arbitrio dependere, neq; omnia quæ facere libet, licere, quod nulla major peccandi illecebra quàm peccati impunitas detur.* Optima ergo popularis Reipublicæ forma ea eſſe prudentioribus quidem videtur, in qua hæc ſervatur proportio, ut poteſtas quidem ſumma ſit penes populum, ſummus autem honor exhibeatur Optimatibus, & ſum- *Libertas.*

mâ

mâ deniq; curâ adjuventur inopes atq; egeni.

Facilè corrumpitur status popularis. Et definit in democratiam.

XVII. Sed, ut dixi, facilè mutatur hic status, & si non prorsus interit, in *Democratiam* saltem mutatur, quæ est plebis in universos cives imperium ad privatam utilitatem directũ. Gradus ejus ab Aristotele referuntur quinq;: *l. 4. Polit. c. 4. Primus* est, quando omnibus ad reipublicæ administrationem tàm civibus, quàm inquilinis aditus patet. Unde prorsus in Arithmeticâ æqualitate genus hoc consistit. *Secundus*, quando non promiscuè imperium omnibus conceditur, sed iis tantùm, qui censum legibus præfinitum habent; parvum tamen illum & exiguum, ne magnitudo ejus Oligarchiam potius, quàm Democratiam parere videatur. *Tertius*, in quo omnes ad Magi-

stra-

stratum & honores admittuntur, qui nullâ ignominiæ maculâ sunt notati. *Quartus*, quando omnibus ad imperium venire licet, qui veri cives sunt ex utroq; parente nati. *Quintus* & pessimus est, qui neminem excludit, qualiscunq; ille sit; cumquè potestas & autoritas â voluntate & arbitrio promiscuæ multitudinis dependet, quæ legibus sese adstringi non patitur, sed identidem hoc in ore habet,

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

XVIII. Hæc est illa non tàm Politia quàm ἀναρχία, & ut Plato eam vocat, ὀχλοκρατία, quæ certis citatisq; gradibus in tyrannidem transit. *Mutari* enim, inquit Plato, *nimia libertas in gravissimam servitutem solet tàm privatis, quàm urbibus, ità enim fieri amat, me-*

Vel in Tyrannidem.

meritoq; dixi non ex aliâ Republicâ Tyrannidem oriri facilius, quàm ex Democratia; ex summa libertate maxima & immaniſſima ſervitus. Et ſanè merito tali imperio talia ominatur: quid enim à verâ ratione alienius, quàm ex fæce hominum ſeligi, qui aliis, ſibi paribus, non raro etiam longè ſe melioribus imperent? Nemo fundum imperito agricolæ committit, nemo vineam ignaro tradit cultori; & quæ hæc eſt, ſtultitia dicam an inſania neſcio, corpora, fortunas, libertatem iis committere, qui tantum abeſt ut aliis imperent, ut ne ſibimetipſis quidem imperare, imò nec ab aliis forte regi queant? Sed de Speciebus Rerumpublicarum hæc ſufficiant. Dicendum nunc paucis eſt, quænam earum optima ſit? quæq; cui civitati maximè conveniat?

Et quare?

&

& si quæ sunt alia ejusmodi.

XIX. Etsi autem omnes omnino Rerumpublicarum species, quamdiu rectæ permanent, neque in deterius prolabuntur, optimæ sint ac laudabiles, quia omnes publicum respiciunt bonum, unam tamen alteri præferri posse omnes omnium Politicorum disputationes comprobant. *Nos cum Aristotele principatum deferimus Monarchiæ*; eamq; ceteris præstantiorem esse contendimus, ob infinitas quidem rationes, sed quarum paucas tantum ἐν παρέργῳ quasi, & verbo quidem indicabimus. Est namq; Monarchia 1. Antiquissima 2. Constantissima. 3. Facilima. 4. Naturæ Convenientissima. 5. Tutissima. 6. Æquissima. Quæ omnia tamen intelligi volumus *Primò*, quatenus simpliciter inter respu-

Comparatio Rerump. instituitur.

Palma defertur Monarchiæ.

publicas instituitur comparatio, alias enim negandum non est, ex hypothesi forte aliam politiæ formam cuidam civitati esse accommodatiorem, de qua re postea nonnihil innuemus; *Secundò*, prout optima Monarchia cum optimâ Aristocratiâ & Politiâ, mediocris cum mediocri, pessima cum pessimâ comparatur. Cùm enim eodem in gradu res steterit facilius, utra melior, firmior, felicior sit, judicari potest.

Cautio tamen adhibetur.

XX. Ubi ante omnia monendum tamen, quod in principio dissertationum nostrarum etiam monuimus; in hac disputatione non posse omnia ad vivum ita resecari, ut minutim & mathematicè disputentur, sed quia de republicâ agimus, morali etiam ac civili disputandi ratione cuncta disquiren-

renda esse. Frustra enim Platonicam aliquam civitatem molimur aut informamus, quippe quæ in aëre forte vel Utopia quærenda sit; sed in hac mortalitate contenti esse cogimur mediocribus, imò multa sæpe & excellentia bona deserenda sunt, ut periculosissima avertantur mala. Neq; potest constitui respublica ulla, in quâ nullum prorsus sit periculum, propterea quòd in hominum ea sit societate, quorum multi cupiditatibus, perfidiâ, ambitione reguntur, non pauci temeritate feruntur in deterius, plurimi imprudentes & quasi præter opinionem ac voluntatem peccant. Quod si ista perpendantur omnia, ac tum demum comparatio instituatur, facilè cum totâ antiquitate concludemus, unum in mundo

DEUM,

DEUM, unum Solem, unum in unâ Republicâ principem esse oportere.

An Electio successioni praestet?

XXI. An autem electio successioni, an haec illi sit praeferenda, ardua est & anceps disputatio, neq; in quamcunque partem inclines, argumenta tibi deerunt. *Electio* ista secum habere commoda videtur, 1. Quod imperium dignissimo cuique tradi possit, cum in successione admitti quemcunq; oporteat. 2. Quod minus periclitetur Reipublicae libertas. 3. Quod plus benevolentiae sit in subditos, & 4. denique, quod facilius moneri possit, qui civium suffragiis rex est, quam cui ex hereditate respublica destinatur. *Successio* non minora, nisi forte majora etiam praestat. Qui enim haeredes majestatis suae se relicturum sperat, omnia regni ne-

negotia veluti sua curat, hæredibusq; naturaliter favens, ærario, armamentariis, civium deniq; commoditatibus diligentius prospicit eo, qui in morte & suam & suorum Majestatem amittit, quique adeo id agere dum vivit cogitur, ut liberis suis familiæq; præsidia ac securitatem præstet, præsertim cùm invidiam iis multorumque simultates relinquat. Nos constitutas cujusque provinciæ leges ac subditorum mores, itemque regiminis statum respiciendum esse putamus, successionem tamen præferentes, si de constituendo imperio quæstio instituatur.

An fœminis committendum imperium?

XXII. Non erimus hoc loco de hac quæstione solliciti, an fœminis committendum sit imperium? Breviter ita censemus, non esse eas omnino quidem

dem à Reipublicæ administratione arcendas, nec tamen nisi rarò admittendas. Etsi enim Palladem è Jovis cerebro natam ideo finxit antiquitas, ut sapientiam à fœminis manare non posse intelligeretur, fuêre tamen Semiramides, fuêre Thomirides, fuêre Libussæ, fuêre aliæ, quarum prudentia virorum industriam multorum & æquavit & superavit. *Duo tantum* in fine hujus dissertationis *monebimus*. *Primum est*: Species illas, de quibus diximus, Reipublicæ ita ferè temperatas esse hoc tempore, ut nullibi vel pura Monarchia, vel Aristocratia, vel Politia inveniatur. Ipsum namque imperium Romanum admirabilem trium formarum commistionem continet: caput seu Monarcha Imperator est, Optimates sunt Electores & Prin-

Vix hodie dari simplicem reip. speciem.

Principes, populum civitates liberæ, quarum itidem ut aliorum statuum suffragia in Comitiis audiuntur, repræsentant.

Genium populi spectandum in ordinanda Rep.

Alterum: Si nova Respublica ordinanda sit, naturam hominũ, è quibus civitas conflatur, ingeniumq; ac mores, vitæ etiam ac victûs rationem esse habendam: quâ de re Aristoteles *6. Polit. c. 7.* videri potest. Ita Aristocratia ei convenit civitati, quæ equitibus aut gravis armaturæ milite indiget, Politia verò ei accommodata est, quæ crebris excursationibus velitibusvé utitur: Magna emporia, nisi annexas provincias habeant: Monarchiam aut Politiam comodius, quàm Aristocratiam admittunt: quæ omnia in ipsâ disputatione pluribus & quam fieri quidem potest, accuratissimè explicabuntur. Nunc ad alia nobis est pergendum.

DISSERTATIO IV.

De

CAUSIS CONSERVANTIBUS REMPUBLICAM,

Ac præcipuè de Institutione Optimo optimæ reipubl. fundamento.

Respondente

HULDERICO GROSSIO
Lipsiâ-Misnico.

Aphor. I.

Ratio ordinis proponitur.

QUemadmodum Medicinæ peritus non habetur, qui Anatomicam ejus disciplinæ partem didicit i. e. partes omnes humani corporis earumque naturam ac usum pervestigavit, nisi easdem in

in suo statu conservare, contra ægritudinem morbosvè tueri, &, si quid fortè mali contraxerint, pristino statui restituere noverit; ita Politici officium est non tantùm partes civitatis formasq; rerumpubl. distinctas proponere, sed & ea præterea explicare, quæ vel ad conservandam reip. sanitatem, si sit integra, vel reparandam, si sit amissa, cognitu sunt observatuque necessaria. Salva autem manere Resp. non potest, nisi à periculo tàm internę quàm externæ corruptionis conservetur, ita ut Cives nolint, Hostes autem non possint interitum moliri. Quo respectu omnem vitam in negotium & otium, pacem & bellum divisam esse docet Aristoteles 7. *Polit. Cap.* 14. Et Plato *de ll.* tria esse dicit, quibus minimè carere princeps

Causse conservantes rerump.

posit: Religionem, Justitiam, & scientiam militarem; quorum primum quidem ad perfectionem sui, secundum ad retinendum subditos in officio, postremum ad vim hostium reprimendam sit necessarium.

Omnes reducuntur ad unam Virtutem.

II. Nos uno verbo Virtutem id præstare dicimus, eamq; tam Inermem, quæ vel Intellectualis vel Moralis est, quàm Armatam, quæ Legis nomine aliàs venire solet, magis tamen illam quippe sine qua hæc vel prorsus non datur, vel inutilis est & frustranea. Cùm autem Virtus, ut Philosophus in Ethicis docet, habitus aliquis sit, omnis autem habitus crebris actionibus comparetur, quæ sine institutione esse non possunt, ideo prima esse Reipublicæ cura hęc debet, ut & qui imperant, & qui parent, Virtutis studio imbuan-

Quæ ex bona Educatione præcipuè nascitur.

buantur, i. e. ut Educationis cura habeatur, qua deficiente inanes sunt leges, & contrà beata est Respublica, ubi plus boni mores, quàm bonæ leges valent. *Si enim de futuri seculi Reipublicæ prognosticon quæris* (ait Richterus *in axiom. OEcon.*) *Juventutem & educationem inspice, ac inde fausta vel infausta quæque ominare.* Et certè solus Educationis neglectus in causâ esse videtur, cur ita prolabantur in Republica mores, *ut penè inter nocentes innoxium esse crimen sit, & malos quisquis non imitatur offendat, imò ipsa jura consentire peccatis videantur & ceperit esse licitum, quod publicum est*, sicuti S. Cyprianus Martyr loquitur.

III. Nobis profectò tam nobilis ac necessaria visa est hæc materia, ut integrum de eâ tractatum moliti simus, quē cùm brevi publicæ daturi simus censuræ, nunc præcipua tantū ejus *Dignitas materiæ.*

capita delibabimꝰ, ab altissima tamen origine etiam hoc loco, sed breviter, rem arcessentes. *Etsi igitur* (verba sunt Aristotelis *1. Pol. c. 13.*) *secundum naturam expediat corpori, ut ab animâ gubernetur, & parti perturbationibus obnoxiæ, ut à mente & parte ratione præditâ regatur; tamen* (ut ejusdem verba paullum præcedentia retineã) *in vitiosis aut vitiosè affectis sæpe videtur corpus imperare animæ, propterea quòd malè & contra naturam sint affecti.* Ita nimirum seditiosam quandam in nobismetipsis deprehendimus rempublicam, in qua infima plebs, i.e. affectuum turba Menti, quę regis vice fungitur, resistit; unde omnia crebris motibus ob summam dissensionem colliduntur & ad extremam perniciem spectant, atque tandem, ut gravissimus Poëtarum ait:

Fer-

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

IV. Hinc tot Myriades hominum vitiosorum ubivis reperiuntur, quos cùm Magistratus à turpitudine suâ legib⁹ honestis avocat, & rationi potiùs, quæ divinæ mentis simulacrum exprimit, quàm affectibus, qui pecudes referunt, obsequi jubet, gravissimè imperium ferunt, aversantur, & quâ possunt violentiâ ac astu idipsum ludificant. Quin etiam tales est invenire, qui conviciis rectè præcipientem Magistratum proscindant, excutienda aliorum dominia suadeant, atq; eò tandem nequitiæ delabantur, ut obedire servile nimis ac abjectum esse; imperio adversari, adspernari superiores & habere despectui, id verò magnifici præclariq́ue animi indicium & præci-

Neglectus educationis quæ malæ afferat.

In subditis.

puam fortitudinis partem putent. Nec verò cui pâ semper carent, qui aliis in Republicâ præsunt. Etsi enim omnes publicum prætexant bonum, non omnes tamen quærunt, sed suis interdum rebus studentes de subditorum salute parum sunt solliciti. Nonnulli etiam (ut ex antiquitatis constare secretariis cuivis potest) regnandi facultatem omnem in difficultate conveniendi, in ferocia, in elato deniq; animo sitam esse existimant.

In magistratu.

Error insignis imperantium.

V. Unde id agunt præcipuè, ut frequenti satellitio stipati omnibus potentiæ incutiant formidinem, comitatis & mansuetudinis gratiam interim occultantes. Quo fit, ut Nomadum & Scytharum more subditorum animos à se alienos reddant, quos amore ac benevolen-

lentiâ devinctos habere præcipuè ipsis expediebat. Omne etenim imperii robur ac firmitudo in obsequio & fide subditorum consistere, illorumque charitate excidentes principes firmissimo præsidio nudari passim inculcant prudentiæ civilis consulti. Etsi nec istos audiendos existimē, qui in contrarium abducti lenitatis atq; clementiæ usurpationi universam benè imperandi solertiam adscribunt, ideoque autoritate & imperandi severitate nunquam utendum, nunquam severiore vultu potestatis dignitatem ostendendam nimis molliter arbitrantur. Cùm tamen mediâ incedendum sit viâ & prudentissimi illud Poëtæ observandum:

Parcere subjectis & debellare superbos.

VI. Ceterum hujus mali cauſſas accuratè agitanti animo multæ quidem occurrunt, ſed quæ ad unum bonæ educationis & rectæ inſtitutionis defectum commodiſsimè referri queant. Nihil autem omnium hodie æquè atq; hanc ipſam aut inſuper haberi, aut praviſsimè adminiſtrari mirum imò monſtro ſimile eſt. *Non eſt tam infrunitus aut vecors architectus*, ait alicubi Clariſsimus Hornejus, præceptor noſter æternùm honorandus, *qui fundamento non rectè collocato ædificium auſit promittere firmum & inconcuſſum, & Eccleſiam ac Rempublicam florentem nobis polliceatur, ubi rectè nemo aut ad hanc, aut illam educatur.* Rectiſsimè hæc, ut omnia, vir eximius ibi exponit, & nervosè ſatis demonſtrat, è duobus hiſce maximis Reipubliçæ atque Eccleſiæ ma-

Fundamentum Reip. Inſtitutio.

malis (quod nempè pravis præceptis tenera imbuatur ætas, & perverso omnia discat ordine) id tandem emergere, ut recta educatio pereat, & subruto hoc fundamento Ecclesia sensim & Respubl. collabascat: etsi pauci sint qui id videant.

VII. Verùm de Republica nobis præcipuè nunc sermo est. Eam virtutibus, tàm imperantium, quàm subditorum stabiliri, vitiis contrà pessum ire & ratio dictitat, & omnium temporum historia testatur. Moribus sanè nondum prolapsis ad servitutem populum impellere ne Manlius quidem potuit, at corruptâ Republicâ etiâ Claudio adulantur principes, & Neronem in Divos referunt. Ita nimirum quocunq; loco virtutis præsidium cessit, eo hostis admittitur; neque tam parvum *Probatur experientiâ.*

est ullum vitium, quod non magnis regnis evertendis sufficiat, si neglectim habeatur. Sed quomodo quæso virtute Respublica erit prædita, nisi animis subditorum, nec non eorum, qui præfici aliquando Reipubl. debent, cum matris quasi lacte instilletur? Quomodo dominabitur aliis, qui nec ipse habere vitæ suę modũ potest? Quomodo Magistratui parebit, qui ne animo quidẽ suo paret, sed quicquid lubet, licere sibi arbitratur, imò ab ineunte statim ætate ad ultimum usq; vitæ terminum ita omnibus obnoxius est vitiis, ut brutum potius pecus, quàm ratione præditus homo esse videatur.

Autoritate etiam Senecæ.

VIII. Præclarè Seneca *ep. 37.* *Si vis tibi omnia subjicere*, ait, *te subjice rationi. Multos reges, si ratio te rexerit; ab illa disces quid & quem-*

ad-

admodum aggredi debeas. Id quod principi dictum esse & adhuc dici posse nemo, puto, inficias ibit. Et principem verò bonum esse non sufficit, nisi & subditi sint tales. εἰ μέλλεις τὰ τῆς πόλεως πράξειν ὀρθῶς καὶ καλῶς, ἀρετῆς σοι μεταδοτέον τοῖς πολίταις; *Si Rempublicam rectè ac laudabiliter gerere cupis, virtus tibi communicanda est cum civibus*, ait Divinus Plato. Certè pessimus quisque asperrimè rectorem patitur; quia frustra leges, etiamsi commodissimè latæ ad honesta hortantur eos, quorum animos de vero hominis bono pravæ obsident opiniones: *Neq;* enim (ut jam laudatus Philosophus in suâ Republicâ gravissimè monet) *virtutem constanter tueri potest, qui nullis certis opinionibus de turpi & honesto imbuerit mentem.*

Platonis.

Leges sine institutione inutiles.

IX. Errant ergò, Errant, in-

quam, qui solis legibus Rempublicam in officio contineri arbitrantur. Institutione ac diuturnâ adsuefactione opus est, nec uno momento generari virtus potest. Epictetum audi, qui *lib. 1. apud Arian. c. 15.* *Nihil magnum, inquit, fit subito, imò ne una quidem ficus. Si mihi nunc dicas, te velle ficum, respondebo tempore esse opus; sine primum ut floreat, pòst fructum producet, denique matureſcet. Cùm ergo ficuum fructus subitò & unâ horâ non perficiantur, an animi fructum vis tam brevi tempore & tam levi negotio parare?* Adhibendi in omni Republicâ sunt, qui virtute & morum honestate teneram ætatem imbuant, idque ex præscripto sapientum, qui soli Reipublicæ malis mederi possunt, non eorum, qui præpostero judicio Sapientiæ studia, vitæ & rebus gerendis non otio aut

Sapientes sunt medici reip.

umbræ ab antiquis Rerump. moderatoribus dedicata, exulare è Republicâ jubent, & vix in scholarum cathedris conservari admittunt.

X. Unde mirum non est, si literæ eæ, quæ quondam vitæ magistræ erant, quę domi forisque, in re privatâ & publicâ utramq; conficiebant paginam, nunc ingeniorum tantum exercitia & disputationum ac declamationum materia factæ sunt, ut jam cultores suos plerumq; doctiores à se, ratò meliores & ad res gerendas promptiores dimittant. Non constat videlicet iis amplius sua autoritas, sed, ut antè dixi, plerique mortalium τὸ δίκαιον καὶ ἀγαθὸν ἀνθρώπινον, quod est Politica justitia seu universæ societatis justum & æquum commercium, à legum latione sola arcessendum

Id pauci credunt.

Sed malè.

dum autumant. Sed ament illi Divam suam sine me rivali: equidem mihi non persuadeo, accuratâ juventutis educatione & disciplinâ morum aut neglectim habitâ, aut perperam traditâ, ullam Rempublicam salvam esse atque incolumem posse. Idq; si demonstretur ad oculum & ex ipsis quasi naturæ *fundamentis deducatur*, pretium fortè fuerit operæ.

XI. Ego, ut jam antè dixi, quæ ex optimis quibusq; ac sapientissimis civilis prudentiæ consultis hac de re enotavi, paucis capitibus comprehensa Reipublicæ literariæ patribus conscriptis brevi exhibebo, non tam ut alios doceam, (ejus enim neq; ætatis sum, neq; autoritatis) quàm ut iisdem, quid ab aliis didicerim, reddam. Si bona erunt, ut fore spero, place-

cebunt omnibus, saltem bonis; sin minus, quod detestor; cur mihi parata non sit venia, cùm sæpe iis non denegetur, qui præter nugas nihil chartis illinunt. Ne tamen hiulcum quid nostræ dissertationes haberent, pauca huc transscribenda fuêre, quibus demonstraretur, & quanta sit necessitas bonæ educationis, & quomodo institui rectè debeat ac possit. Prius ex iis, quæ jam dicta sunt, probari satis superq; potuit, & legi de eo potest Aristoteles 5. *Pol c. 9. 7. Polit. c. 17. 8. Pol. c. 1.* Plato etiam 6. *de R.* & passim alibi. Posterius jam videbimus, modo prius subjecerim elegantissimum Plutarchi locum, quem *de liberorum institutione* proponit.

XII. Is itaq; cùm uberrimè demonstrasset naturâ ipsâ potentiorem institutionem esse, *Egregius Plutarchi locus.*

tan-

candem hæc verba subnectit: *Legislator Lacedæmoniorum, catulos duos eorundem parentum, Lycurgus sumpsit, quos non pari modo educavit: verùm unum reddidit voracem & gulosum, sagacem alterum & venatorem peritum, contione hinc advocatâ Lacedæmoniorum: Momentum utiq; Lacedæmonii, insit, ad virtutis fœturam haud est mediocre assuetudo, & doctrina, & institutio, disciplinaq; vivendi; id ego vobis exemplo planum faciam. Mox productos catulos illos dimisit, statuens ex adverso catulis ollam & leporem, ibi alter cursu leporem, ollam alter petiit.* Cùm autem, quid eâ re significaret, aut quò spectans catulos ostendisset, conjectare nondum valerent Lacedæmonii, *parentum hi sunt, inquit, eorundem ambo, sed quia in disciplinam dati sunt diversam, hic edax, alter evasit venator.* Hæc ille; quæ quò certiora, eò diligentius sunt observanda, dandaque se-

sedulò opera, ne malos in Republicâ medicos imitemur, qui indulgendo, ne displiceant, ægrotum morti tradunt.

XIII. Neq; verò uni tantùm, sed omnibus in Republicâ necessaria juventutis institutioni præcepta data sunt, etsi Magistratui præcipuè, cujus officium cùm sit, ne inutilis vel sceleratus Reip. civis educetur, advigilare, non Juventutis tantùm, sed pueritiæ etiam. imò infantiæ curam habere debet, ut ita ab ipso ortu ac primordiis educationi illorum consulatur. Multa ergo Patribus Matribusque hoc loco mihi dicenda, à Magistratu verò etiam injungenda, quæ etsi non ignota fortè, neglecta tamen hactenus, adeoque in mores reip. de novo sunt introducenda. Nam qui id agunt, parentes, ut opes con-

Institutio ad omnes pertinet.

Sed præcipuè ad Magistratum.

Magnus parentum quorundam error;

qui-

quirant, i.e. magnum splendentis luti comportent acervum, nihil interim aut parum de liberorum institutione laborantes, eos idem facere, quod illi, quibus calceus curæ est, pes neglectui existimat Plutarchus lib. περὶ παίδων ἀγωγῆς, ubi Grates (quem altissimum civitatis locum ascendentem exclamantemq; introducit) *Quo ferimini, inquit, ô mortales, qui ad possidendas opes magno studio incumbitis, filiorum verò, quibus illa relinquatis, exiguam curam geritis!*

De nascituris etiam sollicita sit respublica.

XIV. Quin etiam, quod majus est, de nascituris sollicita respublica erit, suisque civibus consulet, ut, si qui forte inter eos epileptici sint aut leprosi, aliove contagioso laborent morbo, conjugiis abstineant, ne dira hereditas in posteros transfundatur. Equidem privata

ta sunt hæc damna, sed in Remp. redundant, & non est convenieus posteritatem tam miserabilem in eâ relinqui, quæ etiam sinceram sit tractura partem. Quâ de causâ etiam suâserunt antiqui, ut conjuges aliquantisper seorsim cubent, si alterutrum eorum vel febris, præsertim æstuosior, vel ebrietas quoq; nimia infestet. Civis enim ex ejusmodi parentibus natus, corpore invalidus, mente tardus, ad disciplinas arteſq; discendas minimè idoneus, nec rarò fatuus omninò evadit. Cujus rei rationem Physici tamen nobis rectius, quàm Politici explicabunt: horum namque potior hæc est cura, ut jam susceptæ proli, quàm suscipiendæ prospiciatur.

XV. Natus igitur jam infans in ejus sinu nutriatur, è cujus vi- *Mater prius fœtū ipsa alat.*

viſceribus eſt effuſus: quia *naturæ opus eſt*, ait Ariſtoteles, *alimentum genito præbere* 1. *Polit. c.* 10. Non ſanè exigua in Remp. incommoda ab iis redundant matribus, quæ fontem lactis proli debitum exſiccant: nam & in DEUM peccant & in Naturam, & ſibimetipſis ſuoq; partui nocent. Grande nefas eſt propter delicias exuere, quod omni naturæ DEUS inſevit, & majus adhuc crimen humanitate homines vinci à brutis ferisq; beſtiis; *Nec enim ovis, nec lupus fœtum ſuum deſerit, homo verò deſerit*, inquit Arrian. 1. *ep.* 23. Varro autem mirari ſe ſatis non poſſe ait, tam ſubitò evaneſcere matris amorem: illamq; tanto labore geſtatum utero, tanto dolore luci huic traditum tam citò negligere prorſusque oblivisci. Crudeles profectò & nil minus

Alias peccat in naturæ legem.

Et crudelis evadit.

nus quàm matres illę sunt, quęque non immerito sæpe seipsas ulciscuntur ita, ut nihil in adultis pietatis reperiant atq; amoris, quippe cujus initia & elementa quasi in cunis aut obliteraverunt, aut sustulêre.

XVI. Ne nunc dicam, quod seipsas torqueant, dum uberum χονδριώσεις lactisque coagulationem caussantur, ita ut negatum soboli alimentum in grumos quasi coëat, quam γάλακτος θρόμβωσιν Dioscorides *lib.* 1. *c.* 21. vocat; quodq; non parum sanitati prolis noceat alieni lactis diversa qualitas; cùm enim illa in utero tot mensibus matris sanguine vixerit, nullum habere naturæ suæ accommodatius alimentum potest, quàm lac ejusdē matris, quippe quod nihil est aliud, quàm sanguis dealbatus. Illud tantum observan-

Sibi ipsi nocet.

Et proli.

Tum naturaliter tum moraliter.

vandum puto, prima nutrimenta indolem ferè formare hominis, ut cum materno lacte vitia etiam aut virtutes imbibisse dicamur. Unde illud Didonis ad Æneam, qui crudelis ei videbatur apud Vergil. *l. 4. Æneid:*

Non tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hircanæq; admorunt ubera Tigres.

Experientiæ testimonium.

Quid mirum ergo, si tot iis in locis meretrices reperiuntur, ubi tam frequentes in divitum ædibus sunt nutrices: quæ cùm pleræque sint generis communis, hoc tamen pretium libidinis diu peractæ perceptæq; ferunt, quod divitum liberis alendis præficiantur. Combibunt nimirum miseri infantes à li-

à libidinosis, iracundis & ebriosis nutricibus cum ipso lacte venena, similesque fiunt per omnia iis (saltem ut plurimum) quarum sanguine, sæpe turpissimo, aluntur.

XVII. Quod si dicenda mihi hac de re sententia esset, ego hanc legem condendam aut similem in Republicâ statuerem. *Matres ergo cogendas.*

Mater omnis suo non "
emptitio lacte quos ge- "
nuit sustentato: neq; ul- "
lam vel divitiæ, vel na- "
talium splendor exci- "
piunto. Si morbus im- "
pediat, auditis Medico- "
rum suffragiis eâ de re "
maritus Magistratusq; "
statuunto. Quæ secus "

" faxit, ignominiâ notator. Dura fortè videtur, sed necessaria lex est, & quâ infinita ferè Reip. mala averti possunt. Sed ad alia nobis pergendum, demonstrandumq;, quid in ipsâ educatione statim sub initiũ curare parentes debeant. Ubi Primum lustrum seu primos quinq; annos instrumentis sapientiæ, virtutis ac prudentiæ si non parandis saltem adornandis tribuimus, adeoque suademus, ut ante omnia curiosissimus sit ancillarũ servulorumq;, qui infantem custodiunt, delectus. Ideo enim Plato in suâ Republicâ nutrices cum infantibus convenire in trivio jubet, ut illarum mores in publico notarentur facilius. Nam eos, quos primùm intuemur, mores, & quibuscum in tenerâ ætate vivi-

Primum lustrum educationis vel institutionis.

vimus, nostros facere plerumq; imò verò semper solemus.

XVIII. Quintiliani hæc est sive querela sive admonitio: *Jam primum, inquit, cuiq; filius ex casta parente natus non in cella emptæ nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, cujus præcipua laus erat tueri domum, inservire liberis. Eligebatur autem aliqua natu major propinqua, cujus probatis spectatisq; moribus omnis cujuspiam familiæ soboles committeretur, coram qua neq; dicere fas erat, quod turpe dictu, neq; facere quod inhonestum factu videretur.* Et post pauca: *At nunc, inquit, natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adjungitur unus aut alter servus, plerumq; vilissimus, nec cuiquam serio ministerio accommodatus. Horum fabulis & erroribus teneri statim & rudes animi imbuuntur. Nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infante aut dicat, aut faciat, quando* Omnia virtutem spectare debent.

ipsi parentes nec probitati, neq; modestiæ parvulos aßvefaciunt, sed lasciviæ & libertati, per quæ paullatim impudentia irrepit & sui alieniq; contemtus. Jam verò propria & peculiaria hujus urbis vitia penè in utero matris concipi mihi videntur. Hæc ille.

Longè secus atq; hodie fieri amat.

XIX. Quid autem, quæso, diceret, si nostros videret homines, quos tam improbam sæpè in præsentia filiorum vitam degere dolemus, ut impossibile sit probos eos evadere, quippe qui paternorum flagitiorũ à teneris unguiculis percipiant rudimenta? Quid si videret tantâ improbitate servos & ancillas, ut etiam sanctissimæ domus seduci iis inquinariq; possint? O cœcitatem incredibilem! Famulũ leprosum aversamur, ne contagium in familiam irrepat, & improbos patimur ministros, qui fœdâ luę

lue-filiorum animos inficiant. Animæ præcipua cura habeatur, quæ futura est Templum Dei; nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem DEI pertinet. Turpia verba non intelligat: aniles fabulas ignoret: adhuc tenera lingua sapientiæ præceptis, &, ut vult S. Hieronymus *Epist.* 7. Psalmis dulcibus imbuatur. Rectè Juvenalis, etsi nec ipse satis ubique castus:

Nil dictu fœdum (inquit Sat. 14.)
visuq; hæc limina tangat,
Intra quæ puer est: procul hinc procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti:
Maxima debetur puero reverentia.—

XX. Scilicet hodie animum, ut hospitem degenerem atque invisum, corpus autem ut dominum generosum ac dilectum

Ubi animo neglecto cuticulam curamus.

colimus. Illi ſerimus, illi metimus, illi aramus. Et quamvis jure quidem hoc fiat, illud tamen injuſtum prorſus, quod eò omnia referimus, poſthabitâq; animi curâ illi noctes inſomnes agimus, illi ſuſpiramus, illi vota facimus, illi ingenuas diſcimus artes, illi deniq; obſequimur ac ſumptuoſiſsimo ingratiſsimoq́ue omnium ſervimus domino; cui nec unquam ſatis aliquid; nec ſi quid aliquando defuerit, ulla unquam antea acceptorum eſt memoria. Longè aliter ipſa Veritas Ciceronis (h.e. ejus Reipublicæ Principis, per quam frena orbis olim agebantur,) ore ſuadet, eumq́; qui corpus negligit, non ſe ſed fragile atq; caducum domicilium, at qui animum, illum verè ſeipſum negligere docet. *Neq; enim*, verba ſunt Ciceronis, *is es,*

quem

quem fortuna ista declarat; sed mens tujusq; is est quisq;, non ea figura, quæ digito demonstrari potest. Sed Hoc est in regno stultitiæ commune, ut quarum rerum minor est fructus, & cupiditas & delectatio major sit, ait Petrarcha *de remed. utriusq; fortunæ l. 1. dial. 26.*

XXI. Spectatis itaq; nutricum ancillarumq; moribus additâque in exemplum honestâ parentum vitâ, discere etiam nonnulla ætas tam tenera debet. Et primo quidem loquendi fundamenta ponet, præsertim linguâ vernaculâ, quam formabunt diligenter, qui cum tenero alumno agunt, ne perversè loqui addiscat. Nemo balbutiem per blanditias aut jocos imitabitur, quo errore nihil hodie est communius. Pronunciationi adsuescat claræ, dulci ac genuinæ, quia nun-

Nutricum & ancillarum spectanda probitas.

Formanda loquela infantum.

NB.

Non contemnendum præceptum.

quam pronunciandi modum dediſcet, quem primis annis hauſit. Unde ſæpe unius linguæ vitium in totam gentem tranſit. Experientiam appello teſtem, &, ne de tribu Ephraim, quæ Sibboleth ſemper pro Schibbolet enunciabat, dicam, quis quæſo his locis educatus non B. pro P. D. pro T. ſubſtituit, iiſque literis promiſcuè ac perversè utitur? Audiantur tantùm loquentes, & verum eſſe, quod dixi, apparebit. Nec verò in ſolâ pronunciatione ſeſe ſiſtit hæc labes, in ſcriptionem etiam transfunditur: unde dictas literas perperam uſurpant, ſive Latinè ſcribant, ſive Germanicè, etiam illi ſæpiſsimè, qui cetera non ſunt indocti. Sed iſta nimis ſunt manifeſta.

Diſcere etiam infantia quid debet.

XXII. Deinde alia etiam diſcere eadem hæc ætas poteſt, ſi Ma-

Magistrum idoneum habeat, idq; ludendo potius, quàm laborando. Cavendum enim inprimis est, ne oderit studia sed amet: ut non opus sit aliquod, sed delectatio, non necessitas, sed voluntas. Vidi ego, qui tesseras aut cubos literis insignitos infantibus dabant, quorum jactu non secus atque talorum ludo delectarentur. Qui, quæ ceciderant, nominare prior poterat, victor erat, ingenti nucis præmio donabatur, victo sat pœnæ erat carere. Sed hoc etjam strategema non ignotum antiquis fuisse ex Hieronymi epistolis discimus. *Fiant ei* (scil. infanti, etsi ipse de Paulâ tantum loquitur) inquit *ep. 7. literæ vel buxeæ vel eburneæ, & suis nominibus appellentur; ludat in eis, ut & lusus ipse eruditio sit, & non solum ordinem teneat literarum, ut memoria* *Sed sine tædioso labore.*

omnium in canticum transeat, sed & ipse inter se crebro ordo turbetur, & mediis ultima, primis media misceantur, ut eas non sono tantùm, sed & visu noverit. Subjungit ibidem de scriptione etiam præceptum: *Cum verò ceperit trementi manu stylum in cerâ ducere, vel alterius superpositâ manu tenere, regantur articuli, vel in tabulâ sculpantur elementa; ut per eosdem sulcos inclusa marginibus trahantur vestigia, ut foras non queant evagari. Syllabas jungat ad præmium, & quibus illa ætas deliniri potest, munusculis invitetur.* Reliqua etsi aurea prorsus addere non admittit tempus.

Potest id facilè fieri.

XXIII. Nemo de successu dubitet, si studio non parcat, quia turpiter desperatur, quicquid fieri potest. Nil mortalibus arduum est, eodemque labore bona addisci, quo mala possunt. Nominarem è Clarissimis

simis meis præceptoribus, qui non ista tantùm observarunt, sed latinè etiam locuti ab incunabulis cum infantibus vix credibiles in iis genuêre profectûs, nisi modestiæ ipsorum parcerem. Intelligebant pueri anno ætatis ferè tertio parentes, quinto mediocriter respondebant, septimo aut octavo non ineleganter loquebantur. Et quid opus est verbis? Sunt in hac ipsa urbe pueruli, qui ex nostro præscripto, etsi aliquanto serius adhibito, instituti ea jam septimo aut octavo ætatis anno didicêre, ad quæ multi duodecim annorum vix audebunt adspirare. Non audio illas voces; irritus est labor; non est capax infantia hujus disciplinæ, &c. Cur enim addiscere non posset ea, ad quæ naturæ habet inclinationem. Virtus & erudi-

Erronea opinio nimia blandorum parentum.

tio propria mentis noſtræ bona ſunt, & noſtri boni naturam non eſſe capacem exiſtimabimus? Abſit longiſsimè, abſit. Nihil fruſtra à Deo & naturâ eſt factum.

XXIV. Abſoluto quinquennio Spectator jam ſit novus civis, ut vult Ariſtoteles, earum artium, quas aliquando eſt amplexurus, ut ſeptimo ad ſummum anno publicæ tradi inſtitutioni poſsit: in quâ ſemper eadem etiam habenda virtutis, quæ eruditionis cura eſt. Illi enim hæc ſervire debet, imò propter illam hæc ipſa olim tradebatur, quemadmodum eleganter explicat Romanorum ſapientiſsimus *Ep. 95.* ubi: *Antiqua*, inquit, *ſapientia nihil aliud quàm facienda & vitanda præcepit; & tunc longè meliores erant viri. Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt.*

Septimo anno Præceptori tradatur puer

Sim-

Simplex enim illa & aperta virtus in obscuram & solertem scientiam versa est, docemurq; disputare, non vivere. Nec immeritò hoc ipsum toties me repetere, idem ille facit ut credam ep. præcedenti: *Quid prodest*, ait ibi, *aperta monstrare? Plurimum. Interdum enim scimus, nec attendimus. Non docet admonitio, sed advertit, sed excitat, sed memoriam continet, nec patitur elabi.* Et post pauca: *Quæcunq; salutaria sunt, sæpe agitari debent, sæpe versari: ut non tantùm nota nobis sint, sed etiam parata.*

XXV. Non sine causſa ergo toties hoc de virtute præceptũ repetimus; scimus enim, quàm noxia sit Reip. sine virtute eruditio, scimus nihil esse crudelius, quàm vitium virtute armatum, scimus denique nunquam nimis dici, quod nunquam discitur satis. Nunc antequam

pergamus, unicum tantum monendum est: nempe de masculorum præcipuè institutione sermonem nobis esse, quod illi soli publicè instituantur. Ne tamen puellarum prorsus nulla haberi à nobis ratio videatur, prolixum hunc de illis, sed elegantissimum D. Hieronymi locum *ex ep. 12.* subscribemus; *Sexus fœmineus*, inquit, *suo jungatur sexui: nesciat, imò timeat cum pueris ludere. Nullum impudicum verbum noverit: & si fortè in tumultu familiæ discurrentis aliquid audiat, non intelligat. Matris nutum pro verbis ac monitis, & pro imperio habeat. Amet ut parentem, subjiciatur ut dominæ, timeat ut magistram. Cùm autem virgunculam rudem & edentulam septimus annus exceperit, & ceperit erubescere, scire quid taceat, dubitare quid dicat; discat memoriter psalterium, & usq; ad annos pubertatis libros*

Puellarum institutio.

bros Salomonis; Evangelia, Apostolos & Prophetas sui cordis thesaurum faciat: nec liberius procedat in publicum, nec semper Ecclesiarum quærat celebritatem. Reliqua videat apud ipsum, qui studia & mores puellarum formare matres aliquando docebit.

XXVI. Ad pueros redimus, qui intra septimum annum non vernaculam modò, sed latinam quoque linguam magnâ quidem parte usu ac consuetudine discere & debent, &, ut dixi, possunt. Postea Magistro tradantur informandi, quem, si rectè omnia in Rep. constituta essent, publicum quàm privatum mallem. Quippe publica res est eruditio, & quò magis in publico est, eò magis viget floretque. Quemadmodum enim metalla mutuo attritu splendescunt, ita animus humanus, dum

Latina lingua disci intra septimum annum potest.

dum in societate multorum agitur, multa videt, plura audit, ad prudentiam vivendiq; familiaritatem ac comitatem mirabiliter expolitur, solitarius contra æruginem quasi contrahit & quodammodo torpet. Ceterum, rebus sic stantibus, cùm vix observari hoc præceptum queat, de præceptoribus ipsis à Rep. constituendis aliquid dicemus. *Qualis esse præceptor debeat.* Ii sint in scholis omnibus Viri eruditi, honestæ vitæ dediti, sobrii, severi & comes tamen etiam, vitiorum osores acerrimi, alienæ salutis amatores, & qui aliorum deniq; consiliis libenter utantur.

Non stolidus aut ignavus. XXVII. Removeantur homines ignaviſsimi, stupore & pituitâ demersi, quibus excelsa illa & pulcra res Eruditio ne de facie quidem est nota, cùm non recipiat egestas animi eorum

rum tantam majestatem, tàm grayem, tàm severam. Non moveatur Magistratus externâ & ad fallendum proniſsimâ ſpecie: facilimum enim eſt obſtipo capite incedere, ſententiolas aliquot ingenti verborum volubilitate fundere, vultum induere triſtem & ſeverum, ac alia hujuſcemodi, quę magnam ſapientiam promittunt. Et ad hæc fingenda tamen quaſi nati videntur, qui pulcerrimam amant ſcientiam, nihil ſcire. Uno verbo: Scholis nemo niſi bonus, nemo niſi doctus præficiatur. *Bonus* ſit, ut virtutis diſcipuli habeant exemplum, quod imitentur. *Efficaciſsima*, ait ille, *docendi ratio eſt, vivere, uti præcipis; eaq; inprimis hoc in ſeſe boni habet, quod probat, quæ jubentur fieri poſſe.* Quid mihi

Sed Bonus & doctus.

Vivat ut vivi jubet.

mihi vel præceptores, vel quivis alii sedulitatem, concordiã, caritatem, temperantiam aliasque virtutes laudant? monstrabo quod omnium rerum primum est; faciant quæ dixerint. Sed hac de re Plutarchus videatur, cujus verba quòd subscribere hoc loco non liceat, doleo.

Nemo doceat quæ non didicit.

XXVIII. *Doctum* esse debere præceptorem quis neget? Alterum docere velle ipse quod nescias, stultitia est insaniæ proxima. Ante omnia igitur de vitâ & moribus, deque eruditione ipsâ veras præceptor opiniones foveat, non nova deliramenta excogitet, quorum neminem aut ex antiquâ aut hodiernâ eruditorum rep. suffragatorem habeat. Fœcundissima res est falsa opinio, neq; unquam illic stare, unde cæpit, solet. Continuo

nuo enim qui à vero declinant, in varias se scindunt partes, atque uno ex errore infiniti, diversi omnes & contrarii nascuntur, ut passim Aristoteles inculcat. Et qui semel fines Veritatis transiit (liceat mihi esse imitatori) eum gnaviter oportet esse mentientem. Atq; hoc est, quòd dixi: Magistrum alieno etiam consilio in regendâ docendâq; juventute uti debere. Visitationes ergò instituantur creberrimæ, examinentur non tantùm discipuli, sed & præceptores: de modo instituendi propinquæ interdum Academiæ consulantur, quodq; illæ vel laudabunt, vel improbabunt, id aut observetur, aut removeatur. *Visitationes scholarum instituendæ*

XXIX. Minimè minima est fundi literarii calamitas, quòd sibi soli sapere videantur hodiè mul- *Sua agant præceptores non aliena.*

multis in locis Ludimagistri. Qui ut sapientiam suam etiam discipulis, quibus cum præcipuè conversantur, ostentent, quicquid excogitare novum, quicquid incredibile aut paradoxum possunt, iis inculcant: his deinde somnia hæc aut deliramenta amplecti certum est obstinatumque, cùm nunquam perperam aliquid didicisse videri velint. Scilicet quasi immane crimen foret, à cognito errore discedere, & quæ malè ab aliis didiceris, ea rursus apud alios dedisce re. Hinc multos videas, qui cùm ad Academias se conferunt, ipsis etiam Professoribus sese pares judicant, suum verò, quem in scholâ reliquerunt, Præceptorem longè etiam iis superiorem. Disputare de summis fidei articulis possunt, nihil non ex omni ge-

Pueri puerilia tractent.

genere eruditionis degustarunt. Si de fundamentis, quæ illic jacienda erant, instituatur quæstio, nihil magis jam vulgatum videtur, quàm secretissimum jamdudum illud invisibilitatis artificium. Pauci latinè loquuntur: pauciores Epistolam ingenui & sani coloris scribunt: pauciſsimi lucidos & fluentes versus pangunt. Qui ceteris cupiunt præferri, ab Ennio usq; Pacuvioque demortua verba advocant, quæ si adfuere scriptis possunt: næ illi gemmam id censent & quasi in prætextâ purpuræ clavum. *Magna rei literariæ jactura.*

XXX. Quamobrem præcipua Virtus Magistri hæc erit, ut non tantùm probus sit & eruditus, sed Methodo etiam & dexteritate docendi utatur. Eam describere integram non unius paginæ res est aut pauculæ

larum linearum; alibi copiosius id fieri potest. Nunc illud in genere monemus, alia studia alii ætati convenire, nec solidi unquam quid disci, nisi eo potissimum tempore unumquodque cognoscatur, quo natura ipsa id cognoscendum constituit. Unde sequitur, pervertissimè facere, qui in scholis trivialibus (ubi linguarum præcipuè notitia & pietatis ac Rhetoricæ Logicæque prima rudimenta cum morum innocentiâ ac elegantiâ tradi debebant) non tantùm universam sapientiam, divinam & humanam miseræ juventuti proponunt, sed omnes etiam disputandi subtilitates explicant, naturæ arcana cum iis scrutantur, & de Mysteriis fidei non è Compendio quodam, sed ex intimâ Theologiâ differunt, id est, Gigantis co-

Tempori omni omnia non conveniunt

cothurno nanum, aut Achillis hastâ vel Herculis clavâ infantem bimulum armant.

XXXI. Et ut dicam, quod sentio, pleriq; eorum, cum ipsi linguarum studia neglexerint, necessario ad alia dilabuntur, & ostentandæ disciplinæ & doctrinæ suæ caussâ transmarinæ hujus & insperatæ sapientiæ opinionem apud imperitos aucupantur. Etsi non exigua hujus mali caussa accuratius recogitanti mihi videatur nova illa, heri aut nudiustertius nata, hominis Veromandui Philosophia, cujus tantam ipse facilitatem passim pollicetur, ut pueros etiam hinc inde ab ejus discipulis institutos non stylum formare, sed de eloquentiâ universa judicare, non præcepta Dialectices discere, sed condere, & in controversiis maximè ar-

Caussa erroris partim in Magistris.

Fumo pereant qui fumum vendunt.

arduis, perperam tamen, adhibere videamus. Nimirum fumi adoleſcentiæ venduntur & carbones obtruduntur pro theſauris. Unde eas, quas miſeri adoleſcentes magno labore domi didicêre nugas, majore poſtmodùm conatu in Academiis dediſcere coguntur, ſi ad aliquam ſaltem ſolidæ eruditionis frugem adſpirant. Ne nunc dicam, quod illas horas, quas autorum lectioni ſedulæ ludimoderatores impendere debebant, plerique ſcribendis libris tribuant. Tot ab iis ſyſtemata Logica, tot Rhetorica, tot Phyſica, tot denique Theologica cuduntur, ut jam ſola illa ſtruendis pontibus, aut itineribus ſternendis poſſent ſufficere. Qui bis in anno nomen ſuum ad Nundinas non tranſmittunt, eruditionem ſuam in ordinem coactam credunt,

dunt, ideoque potius, quàm nihil scribant, meris nugis & stolidissimis sæpe axiomatibus miseras & insontes chartas illinunt.

XXXII. Sed & ipse Magistratus interdum culpâ non caret. Si enim stipendia essent pinguiora Præceptoribus, Si honestior iis daretur locus, haberi forte excellentiora etiam ad hanc provinciam ingenia possent: nunc quia nihil aliud ferè sperandum iis est, quàm ut aut strenuè egeant, aut fortiter contemnantur, aut, quod omnium est pessimum, sub arbitrio & imperio imperitissimorum sæpe hominum vivant, nemo ferè erecti & generosioris animi istis studiis vacat, quæ non nisi in contemtum sui inq; spem famis ac esuritionis alios aliquando est docturus. Non *Partim in Magistratibus.*

Non constat Virtuti sua autoritas, quid mirum ergo, si terras relinquat?

tango libenter hoc ulcus, sed operæ tamen esset pretium, si quis medicas ei adferret manus. Sanè ingentia pectus meum cõcutiunt suspiria, quoties recogito, etiam apud magnæ dignitatis viros honoratiores ferè Agasones esse, quàm Pædagogos. Quid facient pueri, inquam, audent cùm talia Patres? Res ipsa loquitur: Ubi quæso hodie Ludi Magister est, *quem*, ut ait Satyricus,

——— *nulla Ciconia pinsat,*
Nec manus auricolas imitetur mobilis albas,
Nec linguæ, quantum sitiat canis Apula, tantum?

Sed manum de tabulâ.

XXXIII. Porro antequam ad Academiam transeamus, paucissimis suademus, magno delectu ad liberalium artium studia discipulos admittendos esse,

esse. Exploranda nimirum ingenia sunt, non quidem è signis externis corporis, sed diligenti examine memoriæ, sedulitatis, industriæ, ratiocinationis. Rectè Seneca Ep. 66. *Potest*, inquit, *ex tuâ vir magnus exire: potest & ex deformi humilique corpusculo formosus animus ac magnus.* Et Ludovicus Cœlius *l. 3. lection. antiq. Cap. 12.* Est, inquit, *ubi sub virgineâ & miti facie, barbara, atrox, & ferina prorsus lateat immanitas, &c.* Removeantur ergo maturè à studiis, quibus cruciatus est studere: è quorũ numero ille Polemon fuit, qui cùm Quintilianum Proconsulem de pœnâ noxio infligendâ consultantem audiret, *jube*, inquit, *eum antiquos scriptores edisserere.* Ii enim plerumque dehonestamenta tantum fiunt eruditi ordinis, & privilegia studiosorum libertatemque in licentiam vi-

Exploranda ingenia discipulorum.

vendi vertunt. Ut non omninò falsum esse existimem, quod Politicorũ non nemo monuit, Studiosorum multitudine Europam jam laborare.

In Academiis discenda.

XXXIV. Ipsas Academias quod attinet, legi de iis potest Sezeri disputatio, quam de Origine, incremento ac progressu, de jure item & autoritate earum conscripsit: ea facilè suppeditabit, quæ nostri instituti angustia explicari hoc loco non admittit. Tantum id observetur, ut ante omnia bonarum artium & Philosophiæ accuratissima habeatur ratio. Hæc enim omnium, ut vocant, Facultatum & fundamentum, & si Theologiam excipias, fons est atq; origo. Non mihi de eâ nunc sermo est, quæ nonnullis Philosophia vocatur, cùm vix ejus sit Scheleton, sed mascu-

Præ reliquis Philosophia.

Sed qualis?

lam

lam illam antiquorum intelligo, quæ magnis imperiis regendis sufficiebat, quamq; Cicero nobis vivo penicillo depinxit. Non rejicio equidem disputandi perorandiq; exercitia, quin potius sine iis eruditionem constare non posse sentio, sed iis solis hæc studia absolvi pernego. Altius ascendit hæc Diva & ipsis actionibus hominum sese mediam ingerit, ubi rectè colitur. Jam alibi demonstravimus & è naturæ fundamentis deduximus, consuetudine potius, quàm jure cæteris facultatibus hanc postponi, quin si rectè rem reputabimus, ducere eam debere ordinem istum disciplinarum, (Theologiam semper excipio) quem nunc magno cum Ecclesiæ ac Reipublicæ detrimento claudit.

XXXV. Magistratus itaque

Philosophos honorare etiam magistratus debent.

hoc erit officium, ut & honoribus afficiat sapientiæ Professores, & honorarium publicum non justum modò & legitimũ, sed amplum etiam iis constituat, vel ejusmodi saltem, ne cum suis egere cogantur illi, qui sunt veluti patres patriæ, unde omnes habent, ut benè sapiant, benè vivant. Eccur enim in multis hodiè Academiis vix mediocriter ista studia coluntur? Nempe Professores eorum, nisi velint perpetuũ cum fame bellum gerere, aliis sese laboribus dedere necessum habent. Hinc Professiones suas parergi instar superficialiter exercent, in iis autem studiis præcipuè sunt occupati, quæ magis ad farinarias conficiendas machinas facere vident. *Etenim parvo stipendio magnos labores non suscipit, qui potest parvo labore me-*

NB.

Præceptum salutare.

mereri magnum. Quod si de honesto iis salario prospiceretur, sua agerent, aliena non curarent, ad altiores, ut hodie vocantur, facultates non adspirarent. Artaxerxis ad Hystanum Hellesponti præfectum Epistola inter alia etiam hæc verba habet: *Si quis in Europâ fuerit vir clarus, hunc amicum domui nostræ redde, minimè parcens pecuniæ: Viri enim quanquam potentes haud facilè inveniunt, quod honestè cupiunt. Vale.* Sapienti satis.

XXXVI. Non opus esse puto, ut pluribus hoc loco explicetur, quanto favore, Liberalitate & munificentiâ scientiarum Professores & alumnos prosecuti sint Principes, Reges, Imperatores, ipsiq; etiam Pontifices: Legat qui volet centum illa & octoginta Privilegia seu potius capita privilegiorum à *Studiosorum.* *privilegia*

Juris Consultissimo Petro Rebuffo collecta, quæ quidem operæ pretium esset adscribi, ne Studiosi, quanto favore Monarchæ studia prosecuti sint, ignorarent, adeoque suorum bonorum essent nescii, nisi jam præter modum numerus aphorismorum excrevisset. Neq; verò frui istis immunitatibus possunt, nisi qui revera sunt Studiosi, vitamq; Studiosis dignam gerunt. Sed veruntamen, Sunt enim, ut ipsi Imperatores loquuntur, sapientiæ, pietatis, artium liberalium studio, Reiq; publicæ utilitati; non vagorum adolescentum nequitiæ, otio, luxuriæ, immunitates istæ concessæ. Hinc sinistro genio, iratisq; Musis & Apolline natos ex Academiis abiegare, manifestaque contestatione tanquam imbelles, ignavos, & literariæ militiæ inutiles aver-

aversari Magistratus & Scholastici solent.

XXXVII. Hinc in plerisque & nominatim perantiquâ hac Lipsensi Academiâ nemo Studiosorum privilegiis gaudet, quin sit, ut statuta habent, *actu studens*. Et Fridericus Imperator *Auth. Habita. C. ne fil. pro patre* satis clarè innuit, quibus Studiosorum ea competere velit: *Quis enim*, inquit, *eorum non misereatur, qui amore scientiæ exules, facti de divitibus pauperes, semetipsos exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt, & à vilissimis sæpe hominibus (quod graviter ferendum) corporales injurias sine caussâ perferunt?* Quæ sanè non quadrant in eos, qui etsi in Academiis vivant, sepositis tamen prorsus literarum studiis ansatis utrinq; brachiis incedunt, & Æthiopico penè gyro cincinnos indies denuo

Æquivocè Studiosi.

confundentes, vestitum, sermonem, vultumq; ad fastum, insolentiam & levitatem conformant, immanibus crocitationibus atque boatibus aliorum quietem oppugnant, gladii, cui justo maturius nupsêre, aciem ad strata viarum explorant, convitiis dicteriisq; bonorum patientiam tentant, scortationibus indulgent, & infinita committunt alia, quæ eruditorum ordinis apud alios vilipendium gignunt.

Gradus quibus conferendi.

XXXVIII. Quin etiam gradus & honores non nisi benè meritis sunt conferendi, nec unquam concedendum, quemadmodum ait Euphormio, ut *gratiosi præferantur dignis.* Cùm enim publica illa eruditionis testimonia & eminentioris insignia sint virtutis, non debent, neque possunt stolidis pecudibus

bus appingi. Magna & Ecclesiæ & Reipublicæ pestis imminet, si prudentiæ aut sapientiæ testimonio falso decorati incedant illi, qui adeò sæpe rudes sunt, ut doceri etiam nequeant. Olim Reges, Principes, Comites, Barones, Nobiles ambire hasce dignitates solebant, nunc probro sibi ducunt iis ornari. Causam non nemo illorum publico inserere scripto non est veritus, ubi *quod communiter*, inquit, *tàm doctis, quàm indoctis conceditur, non est testimonium eruditionis, sed inutilis hominum otiosorum & ambitiosorum cerimonia.* Neque verò exiguum vulnus literariæ Reip. existimandum est, nobilissimâ juventutis amississe partem. Ne nunc dicam, quàm ampla hac ratione fenestra otio aperiatur atque ignaviæ: Quis enim Cleanthis oleo invigilabit, si divi-

Nisi fiat quæ incommoda sequantur.

tes indoctos summo loco, quasi eruditione venerabiliores, stare videt?

XXXIX. Equidem non ignoro etiam inter eos, qui digni istis sunt honoribus, magnum esse discrimen, nec ad unam normam exigi eruditionem posse. Non Augustini omnes, non Bartholi, non Avicennæ, non deniq; Aristoteles esse quimus, sed illud tamen quidni liceret observare? ut nullus „ Magister aut Doctor e- „ jus scientiæ creetur, quã „ alios non possit docere. Nî fiat, perjurium committi necessum est. Nam in plerisq; Germaniæ Academiis inter alia jurare tenentur, se unum annum integrum à promotione prælegendo ac docendo in Acade-

cademiâ duraturos, eodemque anno semel publicam disputationem præsidendo habituros. Quis non Helleborum mihi propinaret, si jurejurando, me cœlum digito tacturum, polliceret? & aliquis docturum se recipiet, quæ non didicit? ô nugas! Cur non illiberalium potius disciplinarum artifices imitamur, quorum nemo Magister, quin alios doceat, habetur. Itaque norma hîc esto illud: ἰδοὺ Ῥόδος, ἰδοὺ πήδημα, Rhodus & saltus suspicionem discutiant. Disputent Magistri, sed disputent; doceant doctores, sed doceant. Aliàs locum habebit illud inter privilegia Studiosorum à Rebuffo collecta quinquagesimũ: *Studiosus doctus præferatur doctori indocto.* NB.

Turpe est discere ab indoctis sed utile tamen.

XL. Multa hîc eaq; utilissima de Legibus Studiosæ Juven-

tuti præscribendis, de Bibliothecis optimè instruendis, de inutilibus deniq; ac Reip. perniciosis disciplinis rejiciendis dici possent, nisi instituti ratio calamum juberet sistere. Alibi non tantùm ista explicabuntur, sed de singulis disciplinis in specie, de Mechanicis etiam artibus, de arte militari, rebusque non paucis aliis copiosior instituetur sermo. Hæc quasi in antecessum data sufficiant, quæ si quis accuratius consideraverit, verum esse deprehendet, quod ait Valerius, omnia in Rep. eruditione magis, quàm rebus bellicis firmari; nec non illud, quod in principio diximus, meliorem esse civem, qui amore virtutis (id quod ab institutione proficiscitur) quàm qui pœnæ formidine sit bonus.

Et

Et hoc etiam jam laudatus verè Maximus approbat *lib.* 2. *c.* 2. ubi de antiquis Romanorum Senatoribus dicit, *eos ambiguæ laudis civem existimâsse, qui debitis Reipubl. officiis non suâ sponte, sed jussu fungeretur: quia quicquid imperio cogitur,* inquit, *exigenti magis, quàm præstanti acceptum fertur.* Hæc ille, & nos cum

illo

DIS-

DISSERTATIO V.

De VIRTUTIBUS RERUMPUBLICARUM.

Respondente

FELICE HIEROVIO
Thorunienſe Boruſſo.

Aphor. I.

QUæ de juventutis inſtitutione hactenus ſunt expoſita, eò tandem omnia collineant, ut virtus, unica illa rerumpublicarum conſervatrix in animis imperantium parentiumq; & generetur, & conſervetur. Eam duplicem fecimus, Intellectualem & moralem: quarum illa cru-

Virtus duplex.

eruditionis, hæc ſpecialiori virtutis nomine venire ſolet. Cùm autem præcipuus de eruditione hactenus fuerit ſermo, nunc de eâ, quæ mores ſpectat, virtute uberius erit agendum. Illud tantùm adhuc demonſtrandũ reſtat, eruditionem Reipublicæ non tantùm honorificam, ſed etiam neceſſariam eſſe: Nec audiendos, *qui* cum Licinio *peſtem & calamitatem publicam literas vocare non erubeſcunt.* Etſi mirum non ſit, hunc hominem tanto erga ſtudia literarum odio flagrâſſe, cùm ipſe fuerit tam rudis, ut ne reſcriptis quidem ſive Diplomatibus ſuis nomen ſubſcribere potuerit proprium. Raræ autem per DEI gratiam fuêre ejuſmodi beluæ; cùm contrà infinitos fuiſſe conſtet non Ethnicos tantùm, ſed Chriſtianos etiam præcipuè, qui & ipſi

Eruditionem Reip. neceſſariam eſſe.

ipsi eruditionis laude claruêre & eandem summis viribus promoverunt.

Militum objectio retunditur.

II. Martis tamen aliquot pulli etiam hodiè in eâ sunt opinione, ut animos civium frangi & otio langueſcere, fortitudinem minui prorsusq; amitti dicant, si nimia sit literarum cura. Sed abundent illi suo sensu, si modò sensum habent, & judicent judicio sese digno. Nos Cæsarem illis opponimus, qui unus omnium instar erit, cujus ad militarem periciam nemo eorum vel adspirare audebit. Sed an non in eo eruditio fuit fortis & fortitudo erudita? Ne de Xenophonte, Timotheo, Philolao, Agesilao, Severo, Pertinace, Antonino, Tacito, aliisq; dicam; Lucullus legendo Dux factus ac Imperator non vires tantùm Mithridatis fregit, sed vin-

Exempla.

vincendum etiam eundem aliis in manus quasi tradidit. Unus Zeno Eleates nominis celebertimi Philosophus, cùm bellicam ex professo, inter alia, scientiam doceret, Mavortiam prorsus scholam habuit, è quâ tanquam ex equo Trojano infiniti ferè fortissimi prodiêre Duces.

III. Non ergo verorum iste militum, sed lixarum caculamumq; est error, qui solo furore opus esse in bello existimant, nihilque inculpatum irreprehensumvé dimittunt, nisi Divam rusticanam. Qui verò rectius inter eos judicant, consilium maximè requiri sentiunt, aut suo tandem damno experiuntur; id verò (cum & celerrimum esse debeat, quippe in arenâ sæpe capiendum, & prudentissimum, quod bis hîc peccare

Consilio non lacertis victoria paratur.

care non liceat) nemo rectius suppeditabit, quàm qui cum experientiâ bellicâ historiarum lectionem, sapientum præcepta, & de strategematis celeriter decernendis, & fructuosè adhibendis consilia legerit. Unde Agamemnon non Diomedes sibi decem aut Ajaces, sed Nestoras optabat, & *prudentiam viro gladium esse ferro ipso acutiorem dicebat.* Nempe rectius sentiebat Imperator eximius iis, qui bellum nihil aliud quàm aciem, aciem nihil aliud quàm corporum seriem ac robur existimantes Andabatarum more cœcis ictibus pugnant; prudentiâ simul ac fortitudine opus esse sciebat, quarum illa sine hac diu hostibus resistere, hæc sine illa prorsus non esse potest, sed in audaciam statim degenerat, de quâ Poeta: ἀλλὰ δ' ἀνμό-

Fortitudo sine prudentiâ temeritas est.

μέλιος ἄφρων, *fortitudo insipiens est imbecillis.*

IV. Non afferam hoc loco Platonis *è libro 5. de Repub.* sententiam, ubi *Socrates tum demum beatas fore Respublicas ait, si vel Philosophi* (de veris loquitur) *civitatibus dominentur, vel ii, qui reges potentesq́; dicuntur, legitimè satisq́; Philosophentur*; nec Tullii ad Quintum fratrem verba pluribus recensebo, ubi *hanc conjunctionem*, inquit, *potestatis & scientiæ saluti censuit civitatibus esse posse princeps ingenii & doctrinæ Plato*, etsi & ipse in se verum esse demonstraverit illud:

Erudita Resp. beatissima.

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ;

sed ejus tantùm suffragium adducam, cujus autoritati si quis refragatus fuerit, sanctissimæ Majestatis ut fiat reus necessum est. Is ergò fulminis instar in-

inanes istos obloquutores discutiens: *Imperatoriam*, ait, *Majestatem non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumq; tempus & bellorum & pacis rectè possit gubernari, &c.* Legis autem forma ratio, moderatrix prudentia, conservatrix scientia est & eruditio.

Religio Virtutum omnium principium

V. Ad institutum tandem ut perveniamus, omnium reliquarum virtutum & principiũ & finem, & fontem & mare, & caput deniq; & calcem statuimus esse *Religionem*: quæ toti quidem Reipublicæ implantanda diligenter, diligentissimè autem omnium à Principe est colenda. Etenim

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Et, ut Nazianzenus prudenter statuit, *facilius subditi præfectorum vitia, quàm virtutes imitantur.* Non ergo

ergo vitiosus sit, qui præest aliis, non autem erit vitiosus, si Religionem colet, & cum illo Rege optimo ex intimo corde dicet: *Ego ex omnibus mortalibus placui, electusq; sum, qui Deorum* (DEI) *in terris officio fungerer: ego vitæ necisq; gentibus arbiter: qualem quisq; statum sortemq; habeat, in meâ positum est manu; hoc igitur agam, ne cuiquam noceam, prosim omnibus.* Audite Reges Christiani, audite principes; at non audite tantùm, sed discite, sed imitamini, sed præstate. Exemplo monstrate virtutem, non tantum legibus jubete: Quod Sol est mundo huic, id vos si religionem & virtutem colitis Reipublicæ esse, cognoscite. Uno verbo: *Illustrissimos non frustra vos vocari cogitate.*

VI. Non debebat malè natum & ad Rerumpublicarum in-

Machiabellus corruptor mortuus.

interitum excogitatarum præceptionum turpitudine noſtra hæc veræ virtutis ac Religionis conſpurcari imago ac delineatio, niſi ipſa etiam deformitas, ſive adjungatur rei pulcræ ſive opponatur, illuſtriorem eam formoſioremq; redderet. Unde non poſſumus, quin ſaltem mentionem faciamus Machiavelli, & pauciſsimis impietatem ejus ob oculos vobis ponamus. Legatur *in Principe Cap. 15. 17. & 18. & de Republ. Cap. 9:* & ab omnibus publicus vitiorum Doctor deprehendetur: Nam & vitia quædam utilia exiſtimat, & virtutis ſimulationem religionisq; externam tantùm ſpeciem Principi ſufficere docet, etſi re ipsâ vitiorum cœno idem ſit immerſus. Uno verbo: Fallere docet & ſimulare.

O rerum Domini, fugite hinc, latet anguis in herbâ.

Non

Non opus vitiorum doctore, in proclivi ea sunt, & nolentibus sæpe irrepunt, & quamvis nemo sit, qui cadendi profiteatur artem, quotidianos tamen videmus & crebros quidem eosdem, lapsus. Unde fit, quod tam celebris suffragantibus multorum moribus evaserit perniciosus iste virtutis & religionis veræ depravator.

VII. Aliud jubet divina sapientia, dum veram pietatem ac virtutem non fictam aut simulatam requirit, ut ex Moysis *Deut.* 11. 12. 13. & præcipuè *Cap.* 28. manifestum fieri legentibus potest. Aliud suadent omnes sancti Ecclesiæ Doctores, sanctus Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, Orosius, Arnobius, Augustinus, aliiq; complures, quorum Catalogum texere & verba ipsa proferre, non differ-

Refutatur autoritate Divinâ.

Et humanâ. Christianorum.

tationem scribere, sed volumina condere videri posset. Aliud docent Plato, Aristoteles, & boni in universum omnes. Isocrates ad Regem Nicoclem, *religionem*, ait, *quam à majoribus accepisti, conserva, solemneq; & pulcerrimum sacrificium & cultum maximum existima, si ipse sis optimus & justissimus; Major enim spes est, ejusmodi boni aliquid à Diis impetraturos, quàm qui aras delubraq; ædificant.* Et Tullius ille optimus regnandi artifex, *pietate adversus Deos sublatâ*, inquit, *fides etiam & societas humani generis, & unà excellentissima virtus justitia tollatur necessum est.*

Et gentilium.

VIII. O pudor! tantamnè esse hominis Christiani impietatem, ut etiam à gentilibus reprimi eam & confundi necessum sit? Sed abeat Machiavellus, nos pergemus, & quæ de Religione dici adhuc à nobis pos-

possunt, paucis pertexemus. Cùm autem *quatuor* sint *præcipuæ per totum terrarum orbem etiam hodie religiones*; Thalmudica, Idolatrica, Mahumedana, & Christiana, nulla earum omnium est, exceptâ solâ Christianâ, quin ex ipso rationis lumine refutari absurditatisq; convinciqueat. *Thalmudica* sanè infinitis contradictionibus scatet, imò quod absurdius, loco fundamenti principium contradictionis omnium mentibus digito DEI inscriptum, omnium reliquorum principiorum fontem ac originem tollit. Unde passim in Thalmudo inculcatur: *Si duo Rabini inter se contendant ac pugnent, & sermones contradicentes proferant, non minus credendum esse, utrumq; doctrinam suam à Moyse accepisse, imò*, quod planè ridiculũ rationi rectæ videtur, *utramq; sen-*

Quatuor præcipuæ in orbe Religiones.

Thalmudica.

Primo principio naturâ noto repugnat.

sententiam Verbum DEI viventis esse. Idem docet Rabbi Jarchi *in Deuter. Cap.* 17. §. 11. Rabbi Bechai, & Rabbi Moſche Ben Nachman, ut autor eſt Johannes Buxtorffius in elegantiſsimo & nunquam ſatis laudato ſynagogæ Judaicæ tractatu capite 1.

Idololatrica.

IX. *Idololatrica* porrò *ſeu Pagana* & ipſa rationi adverſatur, ſuppoſitoq; cõtradictionis principio facilimè refutari poteſt, cùm impoſsibile ſit, plures eſſe quàm unum DEUM: quod independentia, ut loquuntur Metaphyſici, ſit indiviſibilis & non niſi uni tantum eſſentiæ attribuatur. Cùm ergo *vel omne Ens* ſit *dependens*, quod falſum eſt, *vel quoddam ens non* ſit *dependens*, quod neceſſariò verum, (cum formalis ſit in his enunciationibus contradictio) independentia autem pluribus eſſe communis

Abſurditatis convincitur.

non

non posit, ipsa ratio certissimè concludit, non nisi unum tantùm esse, idq; solum ens independens, quod DEUM vocare solemus. Hinc semper extitêre inter Philosophos Græcos, Chaldæos, Ægyptios, Arabes & Latinos, qui & ita sentirent & publicè etiam idipsum, sæpe cum discrimine vitæ, profiterentur, ut elegantissimè Augustinus Steüchus Eugubinus in eruditissimo illo de perenni Philosophiâ libro passim, & Theophilus Reinaudus in Theologiâ Naturali inculcat, & nos in Metaphysicis quartâq; scientiâ antehac auditoribus nostris explicavimus. Quin ipse Horatius, etiam suo judicio Epicuri de grege porcus, non sibi temperare potest *Satyr. 8. l. 1. Serm.* quin sit, ut Persius ait, *petulanti splene cachinno*, quando illud: *Olim trun-*

Confessione & Ethnicorum sapientum.

Qui eam deridunt.

cus erant ficulnus, &c. decantat.

Mahumedana.

X. Jam *Mahumedana*, Alcorano præcipuè comprehensa, etsi & ipsa multas contradictiones in se contineat, illud tamen præ ceteris absurdi quasi peculiare habet, quòd etiam honestatis fundamenta, h. e. moralia præcepta, subvertat. Nam voluptatem illam bestiis hominibusq; communem summum statuit ac ultimum hominis bonum; quam ipse etiam Aristoteles *lib. 1. Ethic. cap. 5.* pecuinum potius, quàm humanum bonum dicendum esse, quod bruta & uberius & frequentius eâ utantur, demõstrat. Et sumum adeò felicitatis bonum, post hanc vitam piis hominibus destinatum reservatumque, in eo positum iri Alcoranus statuit; quod tàm mares, quàm fœminæ (honor sit piis auribus) obscena

Honestatem omnẽ everit.

Bestinæ potius quã humanæ naturæ convenit.

cor-

corporis membra centies millies majora, quàm in hac vitâ, sint habituri, quodq; totidem gradibus futuræ voluptatis delectatio mundanam hanc atq; præsentem sit excessura. Quæ absurditas annon ex ipsâ ratione refutari queat, ab Aristotele loco citato alibiq; quæratur. Sanè Alcoranus ipse sibi diffidens legem inter alias hanc condidit: Ne quis de Religione Turcicâ cum alio differere aut disputare, eam vè in dubium vocare audeat: qui secus fecerit, capitali supplicio afficiendum esse. *Sibiipsi non fidit.*

XI. Nostra deniq; i. e. *Christiana Religio*, etsi indemonstrabilis sit, certissima tamen est, & contra omnes ratione suâ malè utentium insultus facili negotio defenditur. *Indemonstrabilem* eam dico ideò, quòd fide capia- *Christiana.* *Indemonstrabilis quidem, sed verissima.*

piatur, adeoque non tàm comprehensivè, quàm apprehensivè in hac præsertim vitâ possit cognosci; cùm enim duo (ut nos quidem scimus) in universum sint disciplinarum, quibus mens humana informatur, genera, quorum unum cognoscitur sub lumine rationis, alterum sub lumine fidei seu revelationis divinæ, duo quoq; sunt diversa principia habitum ipsũ seu cognitionem gignentia, quorum unum demonstrationibus sua probat, alterum Credi, quæ dicit, jubet. Ut ita revelatio sit principium primum, quo aliquid eorum cognoscamus, quæ divina sunt, & supra captum rationis sibi relictæ, sicut & ratio physicum est principium, ob quod homo potest assentiri naturalibus, vel sine discursu per habitum intellectus,

si

si sint evidentia, vel per discursum, si evidentia non sint. Unde etiam lumina vocantur hæc principia, noscq; cognoscere dicimur omnia sub lumine vel rationis vel revelationis: Sicut enim lumen illuminationem facit physicè, sic etiam cognitionem ratio & revelatio. Quâ de re nervosè disputat Clarissimus Calixtus Præceptor & amicus noster honorandus, *in* ἐπιτομαῖς *Epitomes Theologicæ.*

XII. Quicquid igitur puræ fidei est articulus, id demonstrari non potest, cùm, ut diximus, demonstratio rationis sit, ratio autem de talibus ne quidem balbutire queat, imò si recta sit, etiam nolit. Potest tamen nihilominus defendi, quêadmodum suprà diximus; i. e. ut clarius mens nostra intelligatur; nihil contra fidei nostræ ar-

Articuli fidei non demonstrantur.

articulos è lumine rationis poteſt afferri, quod non idem rationis lumen poſsit refutare.

Exemplum è Trinitate.

Hoc ut rectius percipiatur, exemplo erit demonſtrandum ejuſmodi, quo facilè res tota explicabitur. Id deſumemus ab articulo Trinitatis omnium maximè rationis noſtræ captum ſuperante. Nemo eſt tam impius, ut hunc articulum demonſtrabilem eſſe dicat, & tamen nihil etiam contra eum affert ratio, quod eadem non ſolvat. Dicat ratio: in hac propoſitione: Deus eſt unus & trinus, contradictionem in adjecto eſſe, adeoque prorſus eam non conſiſtere, cùm nulla contradictio veritatem in ſeſe obtineat: Reſpondebit ratio ipſa: 1. *Non demonſtrari hîc contradictionem poſſe.* 2. *Non omnibus videri contradictionem*, ſed iis tantùm, qui na-

naturam veræ contradictionis perspectam non habent: quæ altius aliquantò sunt repetenda.

XIII. Et *prius* quidem inde constat, quod nemo mortalium de Contradictione, eâ videlicet, quæ in adjecto dicitur, judicare aut certi quid statuere possit, nisi ex rerum ipsarum convenientiâ aut pugnâ: Sicut enim non est contradictio in adjecto, nisi ubi subjecti natura planè non permittit secum consistere prædicatum, vel contrà non permittit idem illud à se segregari, ita nec de eâ certus esse quis potest, nisi accuratè utriusq; essentia perspecta. Sed quis quæso subjectum Enunciationis propositæ cognovit unquam? nemo, nemo, inquã, mortalium nemo. Vix equidem perfectior Dei definitio

De contradictione certi nihil potest statui ab eo qui omnes terminos exactè non cognoscit.

Dei essentiam nemo perfectè cognoscit.

(est autem definitio essentiæ explicatio, ut omnes norunt) reperiri extra Theologorum scholas potest eâ, quam stupendæ eruditionis homo Ludovicus Cælius *lib. 21. lection. antiq. Cap. 34.* proponit: sed tamen nondum omnia dicit, quæ ad essentiam DEI pertinent, imò tantum abest, ut dicat omnia, ut ne quidem mortalium universi, *quotquot sunt, fuerunt, erunt*, nec Angelorum omnes exercitus supplendæ illi sufficiant.

XIV. Hinc non tantum Suarefius homo Christianus etsi Jesuita dicere non veretur, DEUM semetipsum satis eloqui non posse, (quam tamen assertionem nostram non facimus) sed & *Plato* Gentilis *DEum putat indictum, innominabilem, & ut ait ipse,* ἄρρητον, ἄκλητον, μακρὸν, cujus natu-

turam invenire difficile est: si inventa sit, in multos eam enunciari non posse. Platonis, hæc verba sunt: θεὸν εὑρεῖν μὲν ἔργον, φάσαι τε εἰς ἀδύνατον, *Deum quidem invenisse haud facile est, intelexisse impossibile.* Meritò impossibile dicit, quia ex sententiâ Boetii omniumq; doctorum, *omnis cognoscens habet cognitionem de re cognitâ, secundum modum cognoscentis, non secundum modum rei cognitæ.* Modus autem finitæ virtutis non attingit ad modum objecti infiniti: & ideo ab intellectu creato, qui est finitus, comprehendi Deus non potest.

Cognitio Dei apprehensiva est, non comprehensiva.

XV. Non referam hac de re Aquinatis verba, quibus ipse, & satis accuratè quidem, cognitionem apprehensionis à comprehensionis cognitione distinguit, sed illud tantùm repeto, cùm nihil rectius de Deo com-

prehendi queat, quàm quod sit incomprehensibilis, ipsis etiam fatentibus Ethnicis, admodum temerarium videri rationi quoque rectæ, si quis contradictionem in adjecto velit statuere, aut certissimam de eâ sententiam ferre, ubi DEUS ipse (per signum scilicet seu terminum) ingreditur propositionem. Hæc omnia ratio cognoscit, & Logici tradunt ac explicant, qui tamen è codice sacro præcepta sua non hauriunt, sed, ut loquitur Augustinus *lib. 2. de doctrinâ Christianâ Cap. 32. Perpetuam illam in rerum ratione & divinitus institutam veritatem connexionum, quam facile est etiam in scholis illis discere, quæ præter Ecclesiam sunt, animadvertunt, notant & ostendunt.* Hoc primum est.

Magna temeritas.

Natura contradictionis.

XVI. Dixi *secundò: non omnibus videri contradictionem*, sed iis tan-

tantùm, qui naturam verę contradictionis perspectam non habent. Qui enim ex Aristotele ejusq; interpretibus didicit, non esse veram oppositionem, nisi ea fiat respectu ejusdem, facile deprehendet etiam quivis homo (si ei explicetur enunciatio) ne hîc quidem habere locum contradictionem posse. Deus sanè unus dicitur à Christianis & trinus, sed unus essentiâ, trinus verò personis. Personarum ergò distinctio essentiæ unitatem non tollit. Dicis: sed hæc distinctio in Divinitate extra revelationem non est rationi cognita. Rectè: & hoc idem nos diximus, cùm suprà assereremus, articulos fidei tales esse, ut ratio de iis neque balbutire queat. Sed hoc tamen interim verum manet, suppositâ revelatione nihil pos-

ctionis pertecta esse debet disputatori.

posse à ratione contra Mysteria adferri, quod non ex ipsius etjam rationis principiis ipsa queat ratio refutare. Ut clarius dicam: Quod Deus sit unus in essentiâ, & trinus in personis, id rationi prorsus est incognitum, quin etiam si revelatio accedat, adhuc tamen modum comprehendere ratio nequit, res enim fidei creduntur, non sciuntur; sed contradictionem tamen hîc non comitti, id inquam videre potest ratio, quia oppositionem respectu ejusdem non fieri videt.

Enthusiastarum stoliditas.

XVII. Hinc etiam constare potest omnibus (quod obiter monendum arbitror) quanto crimine sese nonnulli Enthusiastæ hodiè obstringant, qui ut fictitiam illam Philosophiæ cũ Sacrosanctâ Theologiâ pugnã aliquo modo saltem videantur pro-

probare, ipsum quoq; contradictionis principium vel negant prorsus, vel in Theologiâ locum non habere plus quàm stolidè asserunt. Quos quidem Aristoteles 1. *Top. c. 9.* aut sensu potius, aut flagris, quàm demonstrationibus convinci debere; Avicenna autem *in 1. Metaph. & Scotus 1. Sentent.* tormentis tam diu exponendos existimât, donec fateantur, non esse idem torqueri & non torqueri, aut ista duo simul esse vera non posse. Sed quia nos ex professo hac de re nunc non agimus, supersedebimus etiam uberiori explicatione. Videri tamen omnino debent Analysis Logica Cornelii Martini *part. 2. Cap. 6.* & processus disputandi Conradi Horneii *Cap. 5.* quibus scriptis nihil hodiè eruditius, hoc quidem in genere, sub Sole est.

Prius

Prius quidem illud refutare conatus est nescio quis Nicephorus, homo ad misericordiam usque harum rerum imperitus, cui respondit jam, ut audio, non indoctus quidam veritatis assertor; qui tamen meo judicio non debebat dignum judicasse istud

Vel tribus Anticyris caput insanabile,

in quod calamum stringeret. Ego sanè tribus verbis tantum monuissem, ut contra eruditos scribere expectet, donec desierit insanire.

XVIII. Cœterum si jam constet de articuli alicujus revelatione, facilius adhuc illa rationis cum revelatione, ut ita dicam, amicitia demonstratur, etiamsi hujus sese ancillam lubens fateatur illa. Certè, ut de nostro aliquid largiamur Enthusiastis, quo vel species aliqua

qua verisimilitudinis absurditati concilietur, dubium non est, quin Articulus de Trinitate primis principiis naturaliter notis adversari videatur. Sicut enim apud omnes in confesso est, bis duo esse quatuor; æqualia si addas æqualibus, omnia fore æqualia; ita nemo puto inficiabitur, unum non esse tria, & tria non esse unum. Cùm ergo evidentissima sit primorum principiorum veritas, quemadmodum ex Aristotele 1. *Top. C. 9.* jam diximus, vix etiam negari poterit, si quid hisce principiis contrà eat, id rectæ rationi contrarium esse. Verumenimverò ne istud quidem ita nos urget, ut non sit, quod respondeamus, præsertim si, ut sit apud Christianos, de revelatione quis sit certus.

Articulus Trinitatis videtur esse contra principia naturæ.

Sed non est.

XIX. Utut enim magna sit prin-

principiorum evidentia, imò tanta, ut nihil se pri⁹, per quod probentur, habeant, illud tamen etiam certum est, unum principium alterius quasi limitationem seu explicationem interdum esse. *E. gr.* Principium naturâ notum est, quod ipse etjam Servator Mundi denuò inculcavit: *Tibi quod non vis fieri, alteri non esse faciendum.* Quid autem si in dubium id quispiam hoc nomine vocaret, quòd nullus sit Magistratus, qui, etiamsi maximè deliquerit, sibi fieri velit id, quod ipse in delinquentes aut enormium delictorum reos statuit? & si quis porro ex eodem concluderet, Ergo nec Magistratum punire sontes debere, cùm tamen, ut JCti demonstrant, nulla Deo pinguior mactari queat victima, quàm homo sceleratus; Caperetné quicquam

Unum principium alterius est interdum limitatio.

Exemplum

quam veritas hujus regulæ detrimenti? Non puto. Sed nec respondebis tamen ad istud dubium quicquam solidi, nisi dicas, esse adhuc aliud principiũ itidem naturâ notum, quod prius illud & limitare & restringere & explicare deniq; aptum sit; nempe hoc, quod itidem è regula Justitiæ construitur, *delicta esse punienda.*

XX. Quod cùm ita sese habeat in Practico hoc principio, quid obstat, quò minus etiam obtineat in speculativo? Notum est, fateor, naturaliter, *unum non esse tria, & tria non esse unũ*; sed nec illud rationis lumini ignotum: *Si quid* DEus *dicat* (qui ipsa est veritas testantibus cunctis Philosophis) *id falsum esse non posse, utut ita hominibus videatur.* Sicut igitur illud: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, restringitur *Applicatur ad propositum.*

&

& explicatur per istud, *delicta sunt punienda*; ita & illud: *Tria non sunt unum, & unum non sunt tria*, limitatur, illustratur, & in veritate suâ sartum tectum conservatur per hoc: *Quicquid* DEus *dicit, est infallibiliter verum*, præsertim cùm non minor sit evidentia hujus principii, quàm illius, adeoque tàm hoc, quàm illud primis naturæ principiis adnumerari debeat ac possit. Si quid igitur sub hac majore subsumi tanquam minor potest, posse autem omnes Articuli fidei debent, id omne supra rationem esse potest, contra eandem esse non potest: nisi quis mendacii autorem velit facere DEUM. Sed hac de re passim agit D. Augustinus aureis istis de doctrinâ Christianâ libris, quos in omnium versari manibus magnoperè Ecclesiæ expediret. XXI.

Aliud est esse supra, aliud contra rationẽ.

XXI. Hæc de Religione, si Aphorismorum numerum spectes, uberius, si materiæ dignitatem, brevius, quàm par erat, dicta sunt. E quibus satis appareret, nullam esse Religionum omnium, quę vel comparari cum Christianâ possit: Cùm enim reliquæ omnes vel naturalia, vel moralia principia evertant, sola hæc, etsi superior iis sit in multis, ipsa tamen illa miris modis confirmat, explicat, illustrat; honestati ne hilum quidem detrahit, virtutes omnes non tantùm colere jubet, sed longè etiam perfectiorem iis addit gradum, quando eas tantum illustri isthoc nomine dignas judicat, quæ ex intimo cordis fonte proficiscuntur, quæq; quod caput rei est, à Deo omnium bonorum auctore ac largitore & jubentur & piis hominibus

minibus communicantur. Ne nunc dicam, quod nulla hodiè in toto terrarum orbe culta sit natio, quin huic religioni adhæreat, cùm omnes, quæ eâdem carent, & barbaræ sint & rudes.

Argumentum inducens pro religione Christiana.

XXII. Jam vulgatum est Philosophorum effatum, id demum cum rectâ ratione optimè convenire, quod non quidem omnibus, sed multis iisq; optimis ac eruditissimis placeat; sin autem multis quidem verum aliquid videatur, qui tamen eruditi non sint, id suspectæ statim esse bonitatis debere. *Magnus erroris Magister populus*, ait Ludovicus Vives; *neq; credenda ea sunt, quæ multitudo magno consensu approbat, nisi ad illorum normam revocentur, qui omnia virtute*, adddimus nos, & eruditione *metiuntur*. Porro de Controversiis,

siis, quæ inter nos, Ecclesiam Romanam, Calvinianos, aliosq; agitantur, Politicus agere non potest; Theologis ea res committenda est, qui secundum fidei sacriq́ue Codicis normam totam litem decidere debent. Hoc tantùm dico: Nihil mihi unquam mirum magis fuisse visum, quàm quod Calvinianos pleriq; ideo errare existimant, quia omnia ratione metiantur; cùm tamen, si æquâ lance rem perpendamus, nemo minus ratione utatur, ita ut mihi quidem prorsus eam videantur ejurâsse. Certe pleraq; eorum dogmata è lumine rationis & Philosophicis principiis refutari posse, non semel auditoribus nostris demonstravimus, id ipsum etiam, si Deus volet, publicè aliquando facturi. Nunc ad alia pergimus.

Abutuntur ratione non utuntur.

XXIII. Sed ut compendium fiat verborum, primum à Religione locum PRUDENTIÆ damus, quam Aristoteles *6. Ethic. cap. 1. habitum agendi cum rectâ ratione ea, quæ homini vel bona, vel mala sunt*, definit. Hujus si expers sit Respublica, si eâ careat princeps, si destituantur Consiliarii, quid aliud speremus, quàm interitum? *Ubi non est Gubernator prudens*, ait Regum prudentissimus Prov. 5. *populus corruet, salus autem ubi multa consilia.* Ibi enim ea observari videmus, quæ sola Rempublicam conservant, neque tamen aliunde, quàm è prudentiâ, proficiscuntur. Nihil parvi æstimat prudens Respublica, quod majoris vel commodi vel periculi potest esse momentum. More bonorum Medicorum causas morborum antevertit; initia enim dictâ cu-

Prudentia.

Reip. necessaria.

curari, extrema non nisi igne & ferro posse novit; nutantem columnam facilius fulciri, quã jacentem erigi, exemplis aliarum Rerump. discit, quarum cicatrices semper intuetur, ut sua vulnera caveat. Summam legem hanc existimat, sibi non fidere, alios lubenter audire, cùm nunquam obfuerit audisse, non audisse plerumq;. Denicq; nihil agit impetu, nihil vi, omnia consilio administrat, illudq; Horatii observat:

Vũ consilii expers mole ruit sua,
Vim temperatam Dii quoq; provehunt
In majus: idem odere vires
Omne nefas animo moventes,
lib. 3. Carm. Od. 4.

XXIV. Etsi autem principem præcipuè & Senatum decet prudentia, in ipsos tamen subditos, quantum fieri potest, *Subditi etiam prudentiã imbuendi.*

est etiam transfundenda. Nec audiendi illi, qui cives esse insipientes, bardos, stolidos, stupidosque malunt, quàm cultos, prudentes & eruditos. Nam quod illos ad imperia faciles fore existimant, quippe Consiliariorum Senatorumq; orationibus acquieturos, errant magnoperè, cùm ista potius prudentiam colendo quàm stultitiæ inhærendo acquirantur, ut omnis antiquitatis Consensus unanimis docet. Ne nunc dicam, quàm planè non capiant parendi necessitatem imprudentes, quàm inconstantes sint, quàm facilè ad seditionem impellantur, omnium plerumque rerum, præterquam nequitiæ, rudes. Non amant præterea imò non possunt amare Magistratum, ut eruditè insinuat Quintilianus, ubi: *Amicitias*, inquit,

quit, *similitudo morum jungit; nescio quomodo inter se animorum lumina vident & agnoscunt; nec quisquam in altero amare potest, nisi quod tacitè probat.* Deniq; ut Scriptura ipsa testatur, *Plus proficit correctio apud prudentem, quàm centum verbera apud stultum.*

XXV. Quin & inde facilè eorundem sententia subvertitur, quod finis in Rempublicam totam sit introducendus, non in aliquam tantùm ejus partem, unde & media universalia esse oportebit. Media autem sunt virtutes omnes earumque præcipua post religionem ac pietatem prudentia. Cùm ergo bonum tanquam finis totam spectet Rempublicam, bonum autem, ut exertè docet Aristoteles *6. Eth. c. 5.* nihil esse propriè sine prudentiâ possit, dubium non est, quin tum demum bea-

Finis totius non introduci tantùm in partem debet.

ta sit futura Respublica, si vel omnes vel pleriq; saltem in eâ sint prudentes. Id tantùm per bonam institutionem caveatur, ne astutia prudentiæ imitatrix virtutis induta habitu introducatur. Malitiosa enim ea est ac veteratoria & ad fallendos alios nocendumq; facta. Utitur autem ad decipiendum vel verborum fallaciâ, & dicitur *dolus malus*, vel actionum malitiâ, & *fraudis* nomine appellatur. Etsi loquendi consuetudo discrimina illa jam dudum sustulerit.

Astutia non est Prudentia.

XXVI. Non nescio equidem astutiæ vocabulum interdum in bonam accipi partem, atque tùm cum ipsâ ferè prudentiâ coincidere, ut ex Augustini Epist. 29. discimus: sed nos de eâ nunc loquimur, quam Cicero nobis *l.* 1. *Offic.* exponit, & cujus possessores *lib.* 3. non ingenuos, non

Nisi fortè in bonam partem vocabulum accipiatur.

non viros bonos, non apertos, sed versatos, obscuros, fallaces, malitiosos, callidos, veteratores ac vafros esse docet. *Quo in genere*, ut *lib. 1. jam citato* loquitur, *& in Rep. multa peccantur: ut ille, qui, cùm triginta dierum essent cum hoste pactæ inducia, noctu populabatur agros, quod dierum essent pactæ, non noctium inducie.* Hæc Cicero, qui pluribus etiam eadem ibi exponit. Vera ergo sit & propriè dicta Prudentia, quę quidem ex octo hisce partibus constituitur, quarum consideratio omnibus in actionibus maximã vim habet: nempe memoriâ, docilitate, ratione, intellectu, solertiâ, providentiâ, circumspectione, cautione; quæ omnia pluribus explicare paginarum angustia non admittit.

XXVII. Prudentiam sequitur JUSTITIA, imò vix scio an *Justitia.*

non præcedat : est enim ea compages quasi & anima Reip. quâ sublatâ, cùm suum cuique non tribuatur amplius, nemo etiam suum officium faciet, sed ordo Reip. turbabitur, quo turbato nihil minus quàm salus in eâ sperari ac felicitas potest.

Qua ratione hoc loco explicetur?

Non explicabimus hoc loco naturam hujus virtutis, neque quâ ratione in Universalem ac particularem & hæc rursus in Commutativam & distributivam dividatur, indicabimus, cùm ad Ethicum ea cura spectet; sed illud tantùm demonstrabimus non posse salvam conservari Remp. ullam, nisi justitia in eâ vigeat floreatque.

Principi præcipuè commendata.

Ante omnia autem principi ea seu Regi commendata esse debet. Est namq; *Regis justitia*, ut Cyprianus loquitur, *pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis,*

bi, monimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aëris; serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum, & sibimet ipsi spes futuræ beatitudinis.

XXVIII. Si historias consulamus, non aliam semper reperiemus causſam, cur populi summo sępe labore, multoq; sanguine fuso parti defecerint, quã injustitiam: ideo enim imperia de gente in gentem transferuntur. Quid Longobardiæ, Liguriæq; urbes ab imperio Germanico separavit, nisi injustitia præfectorum, ab ipso etiam Imperatore, ut par erat, non castigata? Et quid opus est verbis? *Nihil tàm naturale est*, inquit Ulpianus *l. 35. ff. de Reg. Juris, quàm eo genere quidve dissolvi, quo colligatum est.* Si ergò justitiæ servandæ gratiâ regna olim sunt constituta,

Neglecta ruinam reip. inducit.

Ut experientia demonstrat.

tuta, si populus inops, cùm à potentioribus premeretur, uni alicui virtute præstanti sese commisit, qui pari jure omnes retineret, ut est apud Ciceronem *l. 2. Off.* quem etiam ideo patrem patriæ, defensorem publicæ salutis, eodem docente, vocaverunt; mirum non est, eadem rursus dissolvi, si vinculum illud fuerit sublatum. Gladium igitur usurpet interdum etiam princeps, non semper clementiam, justitiæque dissimulatorem ejusdem violatæ reum esse cum Ludovico XII. Galliæ Rege sibi persuadeat. Hæc enim est illa virtus, *quâ* ut Salomon Prov. 6. docet, *regis thronus stabilitur*; Hæc est illa virtus, *quâ remotâ nihil aliud esse regna, quàm magna latrocinia* docet Augustinus *l. 4. de Civit. Dei C. 4.* Hæc denique illa est virtus, *sine cujus saltem parti-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0278
DFG

ticulâ aliquâ ne illi quidem, qui scelere pascuntur, vivere possunt, ut Cicero in Offic. demonstrat.

XXIX. E justitia immediatè quasi fluunt FIDES, GRATITUDO, & LIBERALITAS, ejusmodi sanè virtutes, sine quibus nec ipse mundus consistit. Fidem ergò servare omnibus Respublicæ debent, cùm, Romani Consulis elogio, nulla res vehementius eas contineat. Fidem servet populo princeps, rursusque principi populus; fidem servent sibi invicem privati; fidem servet Respublica tota vicinis suis, imò etiam hostibus, ut in omni fortunâ dictorum, factorumq; maneat constantia. Non audiantur, qui æquivocationibus fallunt, non admittantur, qui hæreticis servandâ fidem non esse asserunt; sed Senecæ illud cordi penitus infiga-

Fides servanda.

tur omnium, *Epist.* 88. *Fides sanctissimum humani pectoris bonum est, nullâ necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio.* Unde & illud jam constat, gratam in benè meritos Remp. esse debere, hoc namq; ad illud sequitur, quia perfidię quasi genus quoddam est beneficium non agnoscere aut malefactis pensare. Quantum eâ ex re detrimenti Respublicæ capiant, & ipsa natura & infinita exempla edocent. Prudentes universi sic statuunt, nullam esse stabilem remp. posse, ubi non præmiorum major, quàm pœnarum ratio habeatur. Liberalem ergo esse decet Remp. in omnes, qui vel eruditione ac prudentiâ, vel armis ac fortitudine eam juvare possunt: ita tamen, ne prodigalitati locus ullus relinquatur.

Gratitudo colenda.

Liberalitas exercenda.

XXX.

XXX. Non commendabo operosè HUMANITATEM; Omnibus aliâs notum est, etsi dictu sit difficile quantopere conciliet animos hominum Comitas affabilitasq; sermonis. Videri autem omnino Valerius Maximus debet, qui copiosissimè hanc virtutem pertractat. Illud non incommodè monuerim, cavendum esse 1. ne subditorum comitas nimiâ facilitate ad adulationem accedat. 2. ne principis affabilitas ad improbos etiam extendatur, cùm ea non facilitas, sed summæ potestatis prostitutio esse videatur. Prosit ergo omnibus quidem principis virtus, præcipuè tamen bonis; imò malis nunquam, nisi ad emendationem conducat. IRACUNDIAM, tanquam pestem regnantibus ex æquo & subditis noxiam, tota

Humanitas commendatur.

Sed cautè ea utendū.

Iracundia fugienda.

Unde ea oriatur.

Respublica fugiat. Ea oriri solet è superbiâ, hæc verò ex educatione molli proficiscitur ac blandâ. Id quod Seneca elegantissimè, ut omnia, demonstrat *l. 2. de ira. C. 21. Gaudium*, inquit, *exultatio, exultationem tumor & nimia æstimatio sui sequitur. Dabimus aliquod laxamentum: in desidiam verò otiumq; non resolvemus, & procul à contactu deliciarum* (loquitur de liberis educandis) *retinebimus; nihil enim magis fecit iracundos, quã educatio mollis & blanda. Ideò unicis quò plus indulgetur, pupillisq; quò plus licet, corruptior animus est.*

XXXI. Plura habet eaq; notatu dignissima ibidem, quæ legere omnino tenetur, qui moribus Reip. velit consulere. Reperiet profectò, etsi mirum id nonnullis videatur, affinem deliciis esse immanitatem. Quod quidem Neronis exemplo com-

pro-

probatum dabimus, qui sanè ita mollis fuit, ut nihil virile, ita crudelis, ut nihil molle habere videretur. Unde *iram antiqui mollitiei filiam, sed matrem crudelitatis ac administram appellârunt.* Et Homerus Poëtarum sapientissimus, quòd nullam rem magis orbem affligere quàm hoc vitium videret, Achillis iram ἀλοφόρην i. e. perditricem nominavit. Cætera singulos corripiunt: hic unus affectus est, qui interdum publicè concipitur. Nunquam universus populus unius fœminæ amore flagravit, nec in pecuniam aut lucrum tota civitas spem suam misit, ambitio viritim singulos occupat, impotentia non est malum publicum; sæpe in iram uno agmine itum est. Viri, fœminæ, senes, pueri, principes, vulgusq; consensêre, & tota multi-

Inter vitiorum pessimum esse videtur.

su:

tudo pauciſsimis verbis concitata ipſum concitatorem anteceſsit. Sed videndus hac de re, ut dixi, Seneca tum *l. 6.* tum præcipuè *lib. 3. cap. 2.*

Temperantia. XXXII. Ad TEMPERANTIAM pergimus, cui *intemperantia* opponitur, vitium ejuſmodi, quod ſanitatem, ingenium, pacem, opes, famam aufert, malorum innumerabilium cohortem adducit. Sed de Virtute præcipuè nobis nunc ſermo eſt, quæ in voluptatibus ratione moderandis verſatur, adeoque è PUDICITIA ac SOBRIETATE tanquam partibus conſtituitur. Pudicitię caſtitas conjuncta eſt immediatè, imò ſuo modo unum quaſi quid eſt cum eâ atq; idem. Sicut enim *caſtitas* libidinem frenat, ita *pudicitia* ſigna petulantiæ per Verecundiam tollit. Eſt profectò hæc vir-

Pudicitia.

virtus firmamentũ totius Reipublicæ, in quâ nisi vigeat, fortia non possunt esse aut bona consilia. Nec sine caussâ sapiens antiquitas Minervam pudicam, Musas autem omnes virgines finxit: Castitatem enim non modò Sapientiæ Comitem, sed caussam etiam & conservatricem novit. Contrà ubi ea exulat, ubi libido & luxuria homines occupat, omnis penè acies & vigilia cogitationis omnis obstruatur necessum est. Unde omnes Comici tàm veteres, quàm recentiores, quando amatores introducunt meretricum, vel stolidos eos faciunt, vel si prudentiam iis tribuunt, victores tandem illiciti affectus contemtoresq; scortorum.

XXXIII. Publica igitur ea cura sit & quidem maxima, ut civitas libidinosis hominibus pur-

Objecta movent sensus.

purgetur: nî fiat, Reſpublica ipſa magnum lupanar, Magiſtratus Leno maximus vocabitur. Publicè conſulat princeps & oculis & auribus caſtis: non admittantur ſpectacula impudica, non cantilenæ vendantur voluptatum incitatrices, tollantur periculoſæ i. e. ad levitatem nimium inclinantes choreæ, *fœminarum laſcivi in publico conſpectus prohibeantur*, non collocentur in oculis juventutis illecebroſæ imagines ac ſculpturæ, quibus proh dolor hodie forum ipſum abundat & libidines etiam in poculis, cultellis, aliisq; domeſticis inſtrumentis celatæ veneunt. O licentiam mercatorum pluſquam nimiam! Toxica publicè non ſunt venalia, & animarum venena in nundinis Chriſtianorum Magiſtratu non tantùm

Ea tollenda.

non

non prohibente, sed spectante etiam, imò non rarò plaudente venduntur. Apud Terentium *in Eunuch. act. 3. Scen. 4.* dum adolescens quandam tabulam pictã videt, ubi Jupiter per imbrẽ aureũ sese in Danaë sinum demittebat, statim ita ratiocinatur:

Deum sese in hominem convertisse,
atq; per alienas tegulas
Venisse clanculum per impluvium,
sucum factum mulieri:
At quem Deum? qui templa cœli
summa sonitu concutit.
Ego homuntio hoc non facerem? Ego
illud verò ita feci, ac lubens.

Hodiè ubiq; ejusmodi picturæ visuntur, & longè etiam pejores, imò tales sæpe, quas cœcum fuisse melius foret, quàm vidisse. Quid mirum ergò, si ad praxin theoria refertur?

XXXIV. Non dicam nunc de tollendis Lupanaribus publicis, neque enim Germania non admittunt. *Lupanaria Germani non admittunt.*

noſtra eò nequitiæ hactenus aut ſtoliditatis devenit, ut eorum rationem improbiſsimam admittat, qui publicis illis voluptatibus deteriora caveri arbitrantur. Alia ſunt tollendæ libidinis media. Tollantur, ut dixi, illecebræ, ſeriâ cogitatione, laboribus omnes exerceantur, otium prorſus exulet, luxuriæ denique frena injiciantur & rem factam habebimus. Atqui hinc alteram illam virtutem,

Sobrietas. SOBRIETATEM nempe, commendavimus, quæ & ipſa firmamentum Reip. meritò vocatur, & niſi adſit, prior etiam illa adeſſe non poteſt; Romani certè vinolentam pudicam eſſe negabant. Sed hac de re diſſerere pro latitudine materiæ jam non licet. Illud pro certo eruditiſsimi Theologorum habent, non paucos, qui aliis præſunt,

sunt, ideo æternis supplicijs addictum iri, quòd sobrietatis leges aut præcepta non tradant. Et verò facile introduci hæc virtus posset, si Magistratus ipse sobrius sit, ejusque Ministri; si Consiliarii aulici, aut Satrapæ ex eo præcipuè commendentur, quòd non sint ebriosi; si ebrioso nulla negotia credantur; si tabernarum multitudo contrahatur; si sumptuariæ leges seriò conserventur propugnenturque. De ebriosis jam loquimur, quiquid differant ab ebriis, notius est, quàm ut indicari hoc loco debeat, ideoq; ad alia pergimus. *Qua ratione introducenda in Remp.*

XXXV. Pauciſsimis igitur de FORTITUDINE dicendum est, quam Aristoteles in Ethicis Nicomacheis primo loco exponit, & esse dicit mediocritatem circa timorem & confiden- *Fortitudo.*

In quo consistat.

dentiam. Fortis ergo est, qui in iis intrepidè se gerit, quæ terribilia sunt, sed ita tamen terribilia, ut constantiam hominis non superent: inter quæ præcipuum est vitæ periculum seu mors ipsa, talis præcipuè, quâ de multis præclarè mereri quis potest. Sed essentiam hujus virtutis accuratè satis explicat Philosophus loco citato, & ad eum Clarissimus noster Hornejus in eruditissimo tractatu civilis doctrinæ *lib. 3. c. 5.* Nos illud tantùm demonstrare debemus, in Remp. universam introducendam eam esse, nec sine hac illam constare aut unquam constitisse. Quorum utrumq; tam verum est ac manifestum, ut etiam Pseudopolitici nobis hac in parte assentiantur, civitatisq; firmamentum incolarum constantiam & robur esse doceant.

In totam introducendæ Remp.

Quin

Quin etiam, cùm in reliquis virtutibus simulationem illi admittant, & pro pietate hypocrisin, pro aliis virtutibus alia vitia habitum earum mentientia sæpe substituant, fortitudinem tamen omnes non falsam aut vitream, sed veram solidamq; requirunt, nec asinum leonis exuvias induere, aut Patroclum Achillis armaturam gestare admittunt.

XXXVI. Et profectò si quis hanc virtutem omnibus reliquis ut firmamentum quoddã adjici debere dixerit, is meo quidem judicio non aberraverit à vero. Sicut enim in omni virtute prudentia non secus ac moderatrix quædam clavum tenet, ita fortitudo in turbulento hoc humanarum actionum Oceano omnes tanquam ancora firmat, munit, conservat,

Firmamentum est reliquarum virtutum.

vat, ut sine constantiâ omnis virtus fragilis videatur esse ac nuda. Ubi enim metus regnat aut animi imbecillitas, nullum consilium, quantumvis optimè prudentissimeq; institutum, effectui datur, sed timore ipso quasi retunditur, suumq; vigorem amittit. *Fortitudo autem*, ut Cicero loquitur *in Rhetoricis*, *est immobilis inter adversa, gloriosa animi claritudo, res arduas pulcrè administrans, quæ nec adversis infestando frangitur, nec prosperis blandiendo elevatur.* Est, ut Seneca ait *Epist. 113.* quam etiam *Dissert. 1. § 21.* laudavimus, *munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile: quod qui circumdedit sibi, securus in hac vitæ obsidione perdurat.* Sed videatur ipse mortalium Sapientissimus hac de re, tum loco citato, tum *l. 4. de benefic.* tum etiam præcipuè *de Constantiâ Cap. 8.*

XXXVII.

XXXVII. Quisquis ergo es, ô princeps, si timeri ab hostibus cupis, cives tuos omnes ac singulos fortitudinem edoce. Hæc solo terrore hostes continet ac arcet; lepores illi galeati, quorum hodie infinitus ubivis reperitur numerus, qui vestibus auro prætextis, facie truculentâ & horridis capillitii sentinetis vix non obductâ prorsus militem absolvi existimant, non terrent hostem sed allicium, imo ingruente bello etiam præsentes absunt, ut Homerus de iis statuit. Doceatur ab ineunte ætate quivis mortem contemnere; & facilè alia tolerabit; damna, dolores, ignominias, locorum commutationes, orbitates, disidia, quæ hominem fortem & rectè institutũ, etiamsi universa circumveniãt, non mergent, neq; à justa caus-

Qui mortem contemnit, nihil timet.

sa vel latum unguem decedere cogent: *Si fractus illabatur orbis*, ait Lyricorum princeps, *impavidum ferient ruinæ*. Constituantur magna fortitudini præmia, magnoque honore afficiantur, qui subitis & gravibus casibus forti animo perstiterunt, hostesq; à patriâ repulerunt.

Præmia fortitudini statuenda.

XXXVIII. De eorum præposterâ sententiâ nunc nobis sermo non erit, qui cruenta spectacula introduci in Remp. jubent, ut ex iis fortitudo civium animis ingeneretur. Per se enim ea corruit, ipsaque experientia testatur, diris ejusmodi spectaculis crudeles potius effici, quàm fortes, crudeles autem plerosque omnes etiam timidos esse notius est, quàm quod notissimum. Claudium respice, item Tiberium, Neronem, Adrianum, Domitianum, Com-

Cruenta spectacula fortes non reddunt.

Commodum, aliosq;, qui sicuti ad insaniam usq; amphitheatrali fuêre dediti sævitiæ, ita ignavi fuerunt timidiq́ue, ac prorsus à bello abhorrentes; unde etiam imperium ipsum horum ignaviâ barbaris fuit obnoxium, ut docent Suetonius, Dio, Tacitus & alii. Illud certissimum est, antequam cruenta spectacula exhibita fuêre, Romam fortissimis abundasse civibus, post gladiatorum creberrima spectacula aliunde, è Galliâ nempè, Bataviâ & Thraciâ milites fuisse legendos. Sed hac de re aliâs pluribus.

XXXIX. Nunc tandem & huic dissertationi imponimus Colophonem, quâ de plerisque maximè necessariis Reip. virtutibus (nonnullas enim omissas non inficiamur) quanquam angusto temporis limite septi de-

libare aliquid conati sumus. Iis si Resp. polleat, divina profectò erit & contra omnes insultus satis firma; si careat, non hominum erit societas, sed bestiarum quoddam quasi stabulum suo impetu ad interitū ruens. Sicuti enim per virtutem homines quasi dii fiunt: ita quando vitiis eorum mentes obfuscantur, jam non homines amplius sunt, sed in belluas transmutantur, ut egregiè demonstrat Boethius *l. 4. de Consol. Philosophia*, cujus verba aliquot eruditissima telam hanc pertexent: *Evenit igitur, ut quem transformatū vitiis videas, hominem existimare non possis. Avaritia fervet alienarum opum violentus ereptor? Similem lupi dixeris. Ferox atq; inquietus linguam litigiis exercet? cani est comparabilis. Insidiator occultis surripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exaequetur.*

Vitiosus desinit esse homo.

tur. Ira intemperans fremit? leonis animum gestare credatur. Pavidus, ac fugax non metuenda formidat? Cervis similis habeatur. Segnis, ac stupidus torpet? asinum vivit. Levis, ac inconstans studia permutat? Nil ab avibus differt. Fœdis, immundisq; libidinibus immergitur? sordidæ suis voluptate detinetur. Ita fit, ut qui probitate desertâ homo esse desierit, cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam.

DISSERTATIO VI.
De
LEGIBUS.

Respondente
DANIELE SCHOBERO
VVeidâ-Palatino.

Aphor. I.

Hactenus virtutem Reipublicæ conservandæ necessariâ proposuimus, eamque inermem; nunc ad armatam descendimus, Leges nempe, quas quidem in Rep. maximoperè necessarias itidem propter virtutem esse demonstrabimus. Illud tamen, quod suprà monuimus, certum est, longè majorem vim institutionis & assuefactionis, quàm prohibitionis jus-

Lex virtus armata est.

jussionisque ad hanc rem esse. Leges enim, ut nunc est hominum conditio, cum ex intimis rerum naturis mores non doceant, sed agenda imperent, nec intelligi, sed recipi jubeant, vitiorum & nequitiæ radices stirpitus evellere non possunt, sed tantùm in diem bonos efficiunt, aut hypocritas sæpe & callidos justitiæ probitatisq; simulatores; solidam verò stabilemque morum correctionem minimè largiri queunt, quemadmodum apud Platonem Lycophron Sophista demonstrat. *Non reddit homines perfectè bonos.*

II. Cùm ergò messem frustra speret, qui in seminando fuerit negligens, idcirco è divini Philosophi *Dialogo 4. de Repub.* totum studium circa pueritiam adolescentiamq; adhibendum esse dixim⁹, quasi circa messis urbanæ sementem, adeò ut etiam

verborum, ludorum, gestuumque singulorum diligentissima habeatur ratio. Alioquin si negligatur hæc ætas, non aliter circa leges quotidianas frustra laboratum iri, quàm si quis pharmacis eum quotidiè curare contenderit, qui nullum servare velit in victu temperantiæ modum. Sicut enim homini & naturâ robusto, & victu prudenti ac temperato nullis penè unquam opus est medicinis; ita civitati & optimè ab initio constitutæ & in eâ formâ perseveranti, neq; multis ab initio legibus, neq; quotidianis deinceps constitutionibus opus est. Malæ verò Resp. in quotidianâ quidem per novas leges curatione versantur, nunquam verò benè valent.

Non ergo sola spectanda.

III. Quamobrem & apud omnes sapientes & apud veritatem

tem ipsam legum illi scriptores contemnendi censentur, qui subitò, quâ censurâ scelera perpetrata sint punienda, decernunt; quâ verò ratione homines ita oriantur, nutriantur, erudiantur, ut scelera perpetrare nolint, non provident. *Nemo admiretur*, ait Marsilius Ficinus, *argumento in Dial. 3. de Legib. Platonem nostrum firmissimæ sanitatis animi studiosum, tàm in libris legum, quàm de Rep. diu per multa, quæ videntur levia & ad educandos pueros adolescentesq; pertinent, accuratius diversarè: Sic enim decet diligentissimum animorum medicum facere, eosq; statim natos ita componere, ut vel quasi unâ cum firmâ sanitate geniti videantur, vel saltem ætate adolescente sanitas animi pariter coalescat.* Hæc ille, qui optimè omnium hac de re judicat.

IV. Quod si omnes ita in

Rep. instituerentur, ut rectæ rationi obtemperarent, & ad arbitrium ejus disciplinæ vitæ ratio revocaretur, quæ profitetur sese morum correctricem, totiusque adeò vitæ magistram legum vinculis nihil opus esset. Ubi etenim quilibet contentus suo omnem curam religioni, saluti patriæ, & bono publico impendit, legibus nihil vel extorquendum, vel prohibendum relinquitur. At postquam semel peccandi libido homines invasit, nulla res civitati est utilior, quàm legum optimarum & latio & observatio. Est quidem omnibus optabilius valetudinem prosperam retinere, ne pereat, quàm recipere pereuntem, adeoque præcipuum tàm Politici, quàm Medici institutum est, servare sive corporis, sive animi sanitatem; sequens ta-

Utilissimæ tamen sunt & necessariæ,

tamen utriusq; consilium optimum videtur, sive corpori, sive animo habitum, si quando amissus fuerit, restituere.

V. Atq; hac fini de legibus etiam agere Politicus debet, *quæ & ipsa*, ut Hippias apud Platonem *in Hippia majore seu Dialogo de pulcro* loquitur, *utilitatis gratiâ conduntur, etsi nonnunquam obsint, si malè ponantur*: Et *Socrates* apud eundem *Dialog. 5. de Rep.* Rejus esse censet *in legibus constituendis errare, quàm hominem interficere.* Ejusmodi namque errorem per multa secula animos simul & corpora occidere putat. Plato autem Præceptoris Sapientissimi discipulus haud degener adeò justis felicibusq; auspiciis Dialogos de Legib. seu legumlatione inchoat, ut ter statim in principio DEUM nominet, legesque omnes in tria Numina re-

Magnâ cum cautelâ constituenda.

referat, Jovem, Apollinem & Minervam. *Neq; id quidem injuriâ:* (verba sunt Marsilii) *Sol enim Planetarum Dominus potentiam, Jupiter Clementiam, Minerva Sapientiam continet, quæ quidem tria totam legis naturam perfectionemq; complectuntur.*

De legibus agit Theologus.

VI. Dixi Politicum agere de Legibus debere, sed non solum. Agit enim etiam de iis *Theologus*, nempe cùm explicat divinam sive æternam DEI legem. Agit *Ethicus*, quando justitiæ naturam exponit, ubi non potest etiam non docere, quid & quotuplex sit jus universum, unde justitia æstimetur. Agit *Politicus*, quando de condendis iis conservandisq; est solicitus. Agit denique; *JCtus*, ita etiam ut sine legibus erubescat loqui, §. *Consideremus. nobell. de triente & semisse.* Neq; verò existimandum est, ad solos JCtos tractationem;

Ethicus.

JCtus.

nem hanc pertinere, ut pleriq; eorum velle videntur: cùm solum jus civile h. e. quod certa Resp. jam posuit & approbavit, ad eos spectet, cumque illi non condant leges (Politici enim hoc est) sed conditas interpretentur tantùm, nec de aliis, suo quidem habitu agere possint, nisi quæ jam sint latæ. Unde hæc facultas adeò minuta Imperatori Justiniano visa fuit, ut quinquennium ei studio impendentibus (id quod in nullâ aliâ arte evenit) nihil ad perfectam legitimæ scientiæ cognitionem defuturum pronunciarit.

VII. Longè altioris sunt indaginis, quæ Philosophus hac de materiâ tractat. Ipse enim non interpretatur leges, sed condit, primam omnium originem ostendit, leges civiles in

legem naturæ, & hanc in divinam reducit, imò an rectè aliqua & utiliter lata sit, disputare potest & inquirere: quod prohibetur JCto *l. 12. ff. d. ll.* his verbis: *Et ideo rationes eorum, quæ constituuntur, inquiri non oportet: alioquin multa ex his, quæ certa sunt, subvertuntur.* Et *l. 12. ff. qui & à quibus manumissi liberi non fiunt*, sufficere debere dicitur, quod lex ita sit scripta, *etiamsi perquam durum sit, quod eâ continetur.* Totus enim Legisperiti habitus in solertia scriptas leges interpretandi consistit, & quicquid ille tractat, eò totum refertur, ut ostendat, ita aut legibus, aut Senatus consulto, aut rescripto principis, aut statuto denique cautum esse. Idq; ideo, quod vel exertè ita scriptum reperiatur, vel per evidentem consequentiam ex iis, quæ scripta sunt, possit deduci.

VIII.

VIII. Dicemus ergo hoc loco de legibus, non quidem singulis, id enim esset operis infiniti & à nostro instituto prorsus alienum; sed in genere de origine, ac naturâ Juris legumque, nec non de earum latione disputabimus, i.e. Politici hac in re partes tuebimur. Ita enim Cicero, ne penes me nata hæc videatur opinio: *Nullo in genere disputandi magis honesta patefieri*, ait, *quid sit homini naturâ tributum, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cujus muneris colendi efficiendiq; causâ nati & in lucem editi simus, quæ sit conjunctio hominum, quæ naturalis societas inter ipsos. His enim explicatis fons legum & juris inveniri potest.* Hæc Cicero, quibus immediatè ista subjungit: *Non ergo à prætoris edicto, ut plerique nunc, neq; à duodecim tabulis, ut superiores, sed penitus ex intimâ Phi-*

Qua ratione deinceps agendum de legibus.

Legis natura unde cognoscatur?

Philosophia hauriendam juris disciplinam puto.

IX. Rectè putas, Romanorum prudentissime, & tecum faciunt omnes, quotquot sunt eruditi. Reliquos autem, qui cum vulgo sapiunt, nec tu moraris, nec illi. Nequeunt enim oculos tenebris adsuetos ad lucem perspicuæ veritatis attollere: similesq; avibus sunt, quarum *intuitum nox illuminat, dies cœcat.* Itaq; ab altissimâ origine res arcessenda est, ut videant, qui hac in parte nobis adversantur, se non in Philosophos, sed in naturam Deumq; adeò ipsũ injurios esse. Ante omnia igitur legis ipsius seu juris origo atq; essentia est indaganda, ne in ipso fundamento errore noxio mens inficiatur. Caput enim & origo omnis non tantùm erroris, sed nequitiæ etiam

&

& scelerum in vitâ est ignorantia, & falsum de rebus judicium.

X. Existit igitur primò Lex Æterna, sive jus aliquod, græcè Λόγος, quod absolutam formam actu ab animo, proprio ejus inhæsionis subjecto, separatam denotat, quodque semper immutabile existens, non tantùm ab æterno fuit, sed rebus etiam omnibus exordium induxit. Id nihil est aliud, quàm simplex, uniformis, nullisq; temporum vicibus obnoxius DEI Opt. Max. character, qui dicitur *regula æternæ veritatis Practicæ*, ad quam naturâ omnes creaturæ obligantur. irrationales quidē & brutæ naturaliter tantùm, intelligentes autem etiam moraliter.

Lex Æterna.

——— *Quid enim terrùq; poloq;*
Parendi sine lege manet? vice cuncta geruntur,

Æter-

Æternúq; premunt propriis sub legibus, omnes
Terra, premit felix regum diademata Roma.
Hanc ducibus frenare datum, mox crescit in illos
Imperium superis. Ait rectissimè Poëta.

Immutabilis est.

XI. *Huic legi æternæ*, ait Lactantius, *neq; derogari aliquid licet, nec ipsa abrogari potest, nec verò aut per Senatum, aut per populum solvi hac lege possumus: nec est quærendus explanator, aut interpres alius, nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed & omnes gentes, & omni tempore una lex & sempiterna & immutabilis continebit, unusq; erit communis quasi Magister & Imperator omnium* DEUS; *ille legis hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis adspernetur: hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera supplicia, qua*

quæ putantur, effugerit. Hæc est illa lex, de quâ eleganter Boethius:

Constat, inquit, æterna positumq; lege est
Ut constet genitum nihil.

Imò est DEUS ipse, quem ideo idem Boethius *lib. 3.* hisce verbis alloquitur:

O qui perpetuâ mundum ratione gubernas,
Terrarum cœliq; sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisq; manens das cuncta moveri.

Et paucis interjectis:

Tu numeris elementa ligas, ut frigida flammis
Arida conveniant liquidis, ne purior ignis
Evolet, aut mersas deducant pondera terras.

Reliqua non sine stupore leget ibi, qui volet.

XII.

Quia ipse Deus est.

XII. Neq; verò mirum hanc legem immutabilem esse, cùm DEI essentia simplex sit omniq; compositionis multiplicitati exempta, suâpte naturâ perfectissima, perpetuiq; status retinens uniformitatem, unde dicitur: *DEUS ego sum & non mutor*; & Aristoteles in Metaphysicis ζῶον ἀΐδιον eum vocat, ubi ζῶον ipsi corpus sentiens non est, sicut neq; cuiquam Platonicorum; sed id, quod vitæ particeps: quanquam etiam ab aliis latius acceptum id vocabulum fuit, cùm & stellæ & ipse Mundus, imò virtutes etiam morales ζῶα sint Stoicis. Verè autem ζῶον ἀΐδιον DEUS est, quòd vita ejus & eminentissima sit & æterna. Qua de re plura afferri è Pythagorâ, Philolao, Asclepio, Parmenide, Empedocle, Platone, Aristotele, aliisq; facilimè,

Quare is dicatur ζῶον?

limè possent, nisi temporis limitibus arctissimis excluderemur. Etsi autem huic legi optimæ contrarium sit τὸ ἄδικον i. e. injustum, Cacodæmonũ nempe & impurorum Spirituum propria perfectio, tamen cùm illi & finitæ sint essentiæ, & limitatæ potentiæ, non possunt hanc ipsam mutare legem universi, utut studiosissimi in naturâ boni turbatores ac hostes.

Radii legis æternæ hominum mentibus communicatæ.

XIII. Ceterum radios quasi quosdam hujus juris primus rerum opifex in hominum mentes transfudit, ut nimirum, quæ est natura boni, perfectionem suam iis communicaret, ipsíque honestorum & turpium discrimen cognoscentes spirante in se conscientiæ sensu illorum electione lætarentur, horum autem commissione dolerent. Id quod adhuc hodiè duplex illa ani-

animi humani facultas non obscurè demonstrat, Intellectus nempe ac Voluntas, quorum ille justum ab injusto secernit, hæc præclaro quodam impetu justum tanquam præsidium naturæ persequitur, injustum autem ut detrimentū aliquod ac dedecus fugit ac detestatur. Unde habitus principiorum nascitur, qui quatenus quidem circa practica versatur, alio nomine vocari solet συνδήρησις, vulgo, etsi barbarè, *syndereſin* dicunt. Philosophi *rectam rationem* vocant, & *legem naturæ*, quæ quidem posterior appellatio ex Epist. ad Romanos C. 2, 14. primum deducta est; ipse Apostolus nunc *Justitiam DEI* vocat, ut Rom. 1. v. ult. nunc *opus legis cordibus* etiam Ethnicorum *inscriptum*, ut Cap. 15.

Habitus principiorum.

XIV. Etsi autem in recens na-

natis divini hujus juris semina-
ria aliquandiu sopita delite-
scant, paulatim tamen adole-
scente corpore detegere sese
incipiunt, & ad maturitatis vi-
gorem efflorescunt, præsertim
in rectè natis educatisq;, in qui-
bus præ ceteris speciosa quæ-
dam virtutis colendæ simula-
cra deprehendimus. Quemad-
modum autem cum aliis natu-
ræ operibus comparatum est,
ut nihil simul ac oritur perfe-
ctum omninò sit, omnibusque
numeris absolutum; ita nec a-
ctiones ab insitis istis juris natu-
ralis principiis promanantes
formæ suæ perfectionem ab or-
tu statim primo obtinent, sed
moram quandam temporisq;
productionem requirunt, ut ita
proficiendo perficiantur. Unde
mirum non est, esse interdum
ejusmodi actiones subitaneas,
sine

sine ullâ constantiæ & electionis firmitudine productas, quæ tamen & ipsæ rudimenta quasi quædam sunt futuræ perfectionis, & generali πράξεως nomine Philosophis appellantur.

πράξεις.

XV. Quod si jam sæpius hæ actiones iterentur, ita ut habitum quendam in homine constituant, non amplius πράξεις, sed ἤθη i. e. mores seu adsuefactiones dicuntur. Qui accedente demum ratione, ostensisque principiis & caussis actionum moralium, cùm antea quasi brutæ fuerint operationes, quippe solo ex impetu ac assuetudine profectæ, rationales fiunt, & ex prævia consultatione seu deliberato animo, πράττειν Græci dicunt, exercentur, adeoque nec πράξεις amplius, nec ἤθη, sed δικαιοπραγήματα i. e. justè facta, seu justæ actiones appellan-

ἤθη seu mores.

δικαιοπραγήματα.

lantur, ut est apud Aristotelem 5. Ethic. c. 7. quòd nempe ab habitu rectâ ratione jam informato proveniant, & justitiâ, (de naturali & Philosophica sermonem mihi esse quivis cordatus intelligit) tanquam præcedentium actionum omnium normâ absolutæ sint ac perfectæ.

XVI. Jam Vos perspicere existimo, quâ ratione duplex illa rationis nostræ facultas Optimi nempe Cognitio & ejusdem eligendi firmitudo, à jure illo æterno legeq; immutabili, & absolutissimâ rerum agendarum normâ in hominum naturam sit derivata. Sed ut est omnium rerum varietas, ita disparem etiam fructum ferunt diversi mortalium animi, etsi omnes æqualiter semine istius juris sint consiti. *Quidam enim*, ut Seneca ait, *egregiam sortiti indolem*

in ea, quæ tradi solent, sine longo Magisterio proveniunt, & honesta complectuntur, cum primum audiunt: & hi quidem ex sese fertiles suopte Marte aut levi saltem culturâ adjuti insitam illam honestorum & turpium sementem ad floris evehunt maturitatem. Alios in numerum pecorum & animalium redegit hebes natura & ignoratio sui, ut loquitur idem sapiens, *ita ut nihil inter hos & illa interesit.* Et in iis quidem ita eviluit & quasi situ obductum est justi atq; injusti seminarium, ut nec intelligendi perspicacia, nec eligendi constantia officii colendi munus explicare possint.

Lex. XVII. Ne igitur naturalis illa potentia in infertili animorũ duritie suffocaretur aut penitus interiret, evocarunt meliori fato nati hoc jus ex intimo mentis recessu scriptisq; publicis

cis in contemplationis lucem produxerunt, ac legis nomine indigitârunt 10. *Eth. Cap. 9*: idq; vel *à legendo*, ut vult Isidorus *lib. 2. Etymolog. Cap. 10*: vel *à ligando*, ut exiſtimant Scholaſtici; vel, quam notationem Cicero affert, quæque nobis præ reliquis arridet, *ab eligendo*, quod eſt optimum. Ut ita lex nullâ aliâ ratione ab iſto connato jure differat, quàm quòd hoc in animi ſecreto deliteſcat, illa verò tabulis quaſi depicta & literarum nonnunquam expreſſa characteribus nativam juris indolem oculis atq; auribus percipiendam exhibeat. Unde omnis lex, quę quidē bona eſt, imaginē refert primæ illius ac ſempiternæ legis, honeſtum à turpibus, bonum à malo diſtinguentis. *Unde dicatur.*

XVIII. Atque hoc eſt, quod Cicero paucis verbis innuit

Philip. 11. ubi: *Lex*, inquit, *nihil est aliud, nisi recta & numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria*: quodq; accuratius aliquantò exponens *lib. 2. de Legib. Hanc igitur video*, ait, *sapientissimorum fuisse sententiam, legem neq; hominum ingeniis excogitatam, neq; scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum Mundum regeret, imperandi prohibendiq; sapientia. Ita principem legem illam & ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis* DEI: *ex quâ illa lex, quam Dii humano generi dederant, rectè est laudata.* Hæc Cicero, quibus profectò nihil poterat elegantius dici, nihil verius, nihil denique quod vel magis cum iis, quæ à nobis jam explicata sunt, conveniret, vel clarius originem jurium legumq; bonarum demonstraret.

XIX.

XIX. Hactenus fuit Origo Legis, nunc ejus essentia explicanda venit, antequam ad divisionem aliaque attributa descendamus. Ubi relictis aliorum definitionibus, quarum decem ad minimum refert Adamus Conzius *lib. 5. Polit. Cap. 2.* Etsi multas alias sponte se præterire dicat, nulla nobis unquã accuratior visa fuit eâ, quam Clarissimus noster Hornejus *lib. 4. Eth. c. 3. Num. 15.* proponit, cujus etiam omnia membra ita demonstrat, & ex ipsius naturæ fundamentis deducit, ut nemini vel dubii quidquam, vel obscuritatis relinquat. *Lex*, inquit, *est decretum sive DEI, sive ejus, penes quem Majestas est in Republica, vel naturæ ipsi impressum, vel sufficienter aliãs sancitum & constitutum, juxta quod vivatur, ita ut vel simpliciter expedit, vel expedit huic saltem aut illi* Definitio Legis.

Reipublica. Videre autorem ipsũ potest, imò debet omnino, qui hac in parte eruditionem suam augeri desiderat : *nos duo* tantùm hæc *notabimus.*

Promulgatio legi essentialis.

XX. *Primò* : De Essentiâ legis esse promulgationem, ideo quòd ea regula quædam sit, secundum quam vivatur, adeoq; ignota esse nõ debeat ei, qui vitam suam ad illius præscriptum ordinare tenetur. Ubi tamen latius aliquantò vocabulum promulgationis usurpamus, quàm Romani olim, *quibus* legem promulgare erat integro trinundino, sive septem & viginti diebus publicè eam proponere, antequam perferretur, ut ex Rosino *lib. 8. antiquit. Cap. 2.* discimus. Neq; verò scribi eam necessariò existimamus, si de lege in genere loquaris; cùm etjam memoriâ tantum, aut aliâ ra-

Nec tamen scriptio necessaria.

ratione conservari queat, ut ait Aristoteles 10. *Ethic. Cap. 9. text. 90.* Et de Lacedæmoniis testatur Imperator §. 10. *institutis de jure naturali, Gentium & Civili.* Quin & Aristoteles *in Problematibus* leges olim cantilenas appellatas esse dicit, ideo quòd homines, priusquam literas scirent, leges cantaverint, ne eas oblivioni mandarent, id quod etiam suâ adhuc ætate Agathyrsis in more fuisse edocet ibidem.

Leges olim cantilenæ dictæ.

XXI. *Deinde*: Legem, si vocabulum in latissimâ acceptione sumas, pro omni scilicet regulâ aut præscripto, quo vel imperatur vel prohibetur aliquid in vitâ, non involvere, ut sit justa & bona, quemadmodum docet Arnisæus *lib. 1. doctrina Politicæ Cap. 17.* & elegantissimis rationibus ex Aristotele depromtis comprobat Hornejus

Non est de essentia legis esse bonam.

loco citato num. 11. quarum vel secunda sola sufficere etiam contra obstinatissimum quemque posset. Si namque de essentiâ Reip. non est bonam esse, ut ex Aristotelis definitione 3. *Pol. c.* 3. colligimus, utiq; nec de essentiâ legis erit; quod sicuti lex, ita etiam Resp. primò inventa sit propter bonum publicum, adeoq; par sit utrobiq; ratio. Interim si de benè constitutis Rebusp. sermo sit, locum habere illa Platonis definitio meritò potest & omnino debet, quam Marsilius *ex Minoe Platonis* affert, ubi: *Lex*, inquit, *est vera gubernandi ratio, quæ ad finem optimum per commoda media gubernata dirigit, transgredienti pœnam, obedienti præmia statuens.* Quâ de re plura inferius.

Divisio legis.

XXII. Jam quod attinet Divisionem Legis, variè eam propo-

ponunt diversi. Plato, ut ex Timæo, Phœdroq; & Gorgia colligitur, quatuor ejus species enumerat. Est enim illi 1. *Divina*, quam providentiam vocat: 2. *Cœlestis*, quam fatum: 3. *Movens*, quam naturam: 4. *Humana*, quā prudentiam naturalem. Alii distinguunt in divinam, naturalem & humanam. Nos ratione causſæ Efficientis duo tantùm facimus membra oppoſita, ad quæ reliqua revocari facilè poſſunt. Est enim Lex vel divina, vel humana: Divina iterum est duplex: vel enim inſcripta est mentibus mortalium â DEO, ut ſuprà aphor. 13. demonſtravimus, & vulgò naturalis dicitur; vel peculiari revelatione hominibus est promulgata & ſacro codice comprehenſa; quò refertur lex Moyſis non tantùm Moralis, ſed ceremonialis etiam.

Lex Divina vel Humana.

etiam & judiciaria. De revelatâ hac lege Theologus tractat, Naturalem autem illam, ut & Humanam Philosophus sibi vendicat.

Lex naturæ.

XXIII. Definitur *Lex Naturæ* apud Aristotelem *5. Eth. c. 7. Jus tale quod ubiq; gentium unam vim obtinet, nec ideo valet, quòd ita vel decretum sit, vel non decretum.* Quæ quidem Definitio à posteriori tantùm est, adeoq; non incommodè alii hanc ponunt, quòd sit *Naturale rationis nostræ dictamen, quo appetimus quæ honesta sunt, & fugimus, quæ sunt turpia,* ut è suprà dictis patuit. Ulpiani autem definitio *l. 1. ff. de justitia & jure,* qua dicit *jus naturæ esse, quod natura omnia animalia docuit,* tot implicata est difficultatibus, ut nec ipsis JCtis sufficere posse videatur. *Primò* enim si injuria non cadit in bruta, ut statuit ipse

Perpetuum definitur ab Ulpiano.

Ratio 1.

ipse Imperator *l. 1. ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur*, jus etiam cadere in ea non poterit, cùm eadem sit contrariorum ratio. *Deinde* si id ilico est agere secundum jus naturæ inclinationes naturales, quæ sunt in animalibus, sequi, jam omnis turpis libido juris naturæ erit, cùm omnia ista homines brutâ quadam inclinatione faciant. Quin potius ergò sic statuimus, nihil esse justum posse, quod ab inclinatione brutâ proficiscatur, nisi rationi & principiis Practicis conformetur: ut ipse etiam VVesenbecius *in paratit. de justit. & jure* insinuat. *Ratio 2.*

XXIV. Illud quomodo defendi possit, non video, quod Ulpianus addit, & explicat VVesenbecius *loco citato num. 15.* conjunctionem maris & fœminæ, juris naturalis & bestiis com- *Ratio 3.*

munem esse. Sanè naturali inclinatione homines omnes ad eam ferri certum est, & probatum à nobis *Dissertat. 2. aphor. 5. 6. 7. & 8.* an autem ideo statim juris etiam naturalis sit, de eo quidem magnopere dubito. Certè quod jus seu lex naturæ jubet, id sine peccato omitti non potest: ita si uxorem jam duxisti, defendere eam teneris, si genuisti liberos, nutrire eos & rectè educare debes, id enim jus naturæ à te exigit; nisi facias, injurius es in naturam & magno te crimine obstringis. At verò ut ducas uxorem aut liberos gignas, jus naturæ te non cogit, neq; peccare dicuntur, qui in cœlibatu vivunt & à conjugio abstinent, nisi vel superstitio accedat, vel aliæ quædam circumstantiæ peccatum inde producant.

Aliud est jus naturæ, aliud naturæ inclinatio.

XXV.

XXV. Quin & illud certum est, objectum legis naturalis quoad præcepta affirmantia esse quidem *actiones omnium virtutum*, non tamen *omnes actiones virtutum*. Etsi enim de lege hac naturali quilibet mortalium teneatur, ut omnium virtutum actionibus det operam, non tamen obligatur ad omnes actiones omnium. Siquidem præclaræ sunt actiones multæ atq; pulcerrimæ, quas tamen omittere sine vitio quicunque vult potest. Tales sunt omnes, quæ ex virtute Heroicâ proficiscuntur, quam Philosophus in Ethicis docet esse fastigiũ quoddam seu summum gradum virtutum quarumcunque; quando quis, exempli gratia, aut fortitudine, aut Liberalitate, aut Temperantiâ ita eminet, ut supra captum humanum hoc esse *Objectum legis naturalis.*

videatur. Itaq; qui temperanter agit & sese continet, etiam tum quando poterat voluptate eaque licitâ & concessâ frui, agit aliquid quod virtutis est, sed ultrò agit & sine obligatione. De præceptis autem negativis alia ratio est, prohibet enim lex naturæ non tantùm actiones omnium vitiorum, sed etjam vitiorum omnium actiones omnes, ut *alibi* rectius docetur.

Naturæ lex immutabilis.

XXVI. Hæc lex quoniam apud omnes gentes obtinet, ut ex Aristotele diximus, immutabilis dicitur atq; aliquo modo æterna, *tum* quòd â DEO ipsis mortalium mentibus sit insculpta, ut loquitur Apostolus, *tum* etiam quia materia seu objectum ejus est ipsum honestum vel inhonestũ, quod nunquam nisi forte per accidens mu-

mutatur. Etsi distinguendum hoc loco meritò existimemus cum Hornejo inter præcepta maximè communia, quæ neque desinunt unquam esse vera, neque è mentibus hominum funditus deleri queunt, & præcepta particularia sive conclusiones è prioribus illis deductas, quæ ut dixi, per accidens interdum mutari & obliterari etiam, pravaque consuetudine & diuturno peccandi usu planè obrui possunt. Sed quia jam nimium extra oleas, videri hac de re ipse vir eruditissimus potest loco suprà citato *num. 31.* Nobis redeundum in viam & de legibus humanis, quæ præcipuè huc spectant, accuratius est agendum. *Et quomodo.*

XXVII. *Est autem Lex humana Decretum ab eo promulgatum, qui publicam in civitate autoritatem habet.* *Legis humanæ definitio.*

bet, præscribens quippiam à subditis servandum, quod ad Reip. tranquillitatem facere probabiliter putatur.

Cur dicatur humana? Dicitur HUMANA, quia ab hominibus constituitur, cùm naturalis illa à Deo Opt. Maxim. proficiscatur: vocatur etiam

Cur Jus Legitimum JUS LEGITIMUM, quia secundum excellentiam lex dicitur, quod peculiariter constituitur, etsi per se justum forte non sit id, quod jubet, sed ideo tantùm, quia jam jussum est. Unde etiam

Cur Lex Positiva. Lex Positiva appellatur, quòd nempe non simpliciter; sed θέσει bona, neq; per se justa sit, sed κατὰ συνθήκην i.e. conventione & arbitrio Legislatoris ita habita. Innuit hoc Aristoteles *l. 5. Eth. c. 7.* quando *jus*, inquit, *legitimum est, quod ab initio hoc an illo modo fiat, nihil refert, cùm verò constitutum fuerit, tum demum refert.*

XXVIII. Valet tamen & hæc lex,

lex, actaq; ejusdem dispositioni consentanea probantur omnia propter Legislatoris autoritatem, vicem Optimi Maximiq; Dei in terrâ sustinentis. Neq; eâ carere Respubl. potest ideò, quia cum perfectis perfectaque virtute præditis non vivimus, sed eum iis sæpe, qui libidine, affectibus & falsâ imaginatione variè corrupti legis congenitæ seu naturalis regulâ τὰ καθορθώματα i.e. ideam virtutis exigente in officio non continentur. Ut ita rectissimè de humanis hisce legibus dixerit Cicero: *Nos juris germanæq; justitiæ expressam effigiem nullam tenemus, umbrâ & imaginibus utimur, eas ipsas utinam sequeremur.* E quibus omnibus facilimè jam cuivis constare arbitror, quid inter legem naturalem & humanam etiam optimè latam vel similitudinis sit vel discrepantiæ. XXIX. *Cur Reip. necessaria?*

Finis ejus idem qui legis naturalis.

XXIX. Nempe utrique tàm naturâ, quàm κατὰ συνθήκην valenti τὸ καλὸν propositum est, unumq; hunc finem utraq; spectat, ut virtutum amore animis mortalium imbutis & vitæ privatorum honesta & Resp. tota durabilis sit atq; tranquilla. Sed diversâ ratione. Lex enim naturâ bona finem hunc recto cursu petit, dum ita vitæ munera præcipit, prout insitum honestorum & turpiũ discrimen singulis dictat: Quæ verò ex hypothesi & temporum ratione bona est, obliquato quasi velo languentem & tardam multitudinem provehit, & legi illi universali seu rectæ rationis dictamini particulares nonnullas dispositiones addit, quæ ipsâ naturæ lege non sunt expressæ. Unde jam sequitur, legem naturæ omnes homines obligare,

Sed diversa ratione.

cu-

cujuscunq; sint conditionis ac status, nec quenquam hominū, imò ut plerióq; eruditorum statuunt, ne DEUM quidem de eâ dispensare posse; humanam autem seu positivam non omnes homines simpliciter, sed eos tantùm obligare, qui ejus Reip. sunt subditi, in quâ lex illa est sancita.

XXX. Solet lex positiva vulgariter distingui in legem *Gentium* & legem *Civilem*; *illa* dicitur, quam vel omnes gentes, vel plures communiter statuerunt; *hæc* quæ certæ alicui Reip. peculiaris est, ut non tantùm à Jurisconsultis, sed à Philosophis etiam & præcipuè Thoma *1.2. quæst. 96. Artic. 4.* discimus. Quod si per leges naturales ac humanas id intelligimus, quod nos diximus, & ex Aristotele definivimus, gentium jura commo-

Jus gentium ad naturalem referri potest.

modisimè referri ad naturæ legem possunt, quippe quæ ex eâ ut Conclusiones quædam non probabiliter, sed necessariò deducuntur, neque per modum particularis tantùm alicujus determinationis, quod fit in positivis. Ut ita lex humana illud jus constituat, quod civile vocamus, aliter paulum usurpantes vocabulum, quàm *Aristoteles*, qui *jus Civile seu Politicum dicit omne illud, quo utitur Civitas, sive quod non intercedit inter liberos & parentes Dominumvé & Servum, sed inter Cives*, ut *l.* 5. *Eth. c.* 6. videre licet. Unde etiam jus Civile quasi genus facit, illudq; in naturale & positivum seu humanum ac legitimum dispescit, cùm nos speciem potius illud faciamus.

Jus Civile quid sit Aristotelis?

Quid JCtis & nobis hoc loco?

XXXI. JCti eodem ferè modo, quo nos, accipiunt juris civi-

vilis vocabulum, etsi plerumq; solum jus Romanum intelligant. Nos de civilibus sive juribus sive legibus ea adhuc dicemus, quæ propriè ad Politicum spectant, nec ignorari sine magno Reip. detrimento possunt. Primò autem pauciſsimis de materiâ sive objecto legis humanæ notandum est, esse quidem illud actiones virtutis & vitii, quarum illas jubet, has verò prohibet, sed non omnes tamen, verùm eas solummodo, quæ vitæ tranquillitatem in Rep. vel juvare, vel perturbare ac impedire possunt. Finis enim legis est beatitudo seu felicitas civium, quæ ut per se manifestum est, non tantùm in uno aut altero privatorum, sed in totâ civitate esse debet, si rectè omnia sese habeant. Itaq; præcipuè quidem circa justitiam ci-

civiles versantur leges, quòd videlicet bonum publicum, ut dixi, spectent & humanam in civitate concordiam, ad quam inprimis necessaria est justitia; sed tamen aliarum etiam virtutum materiam præsertim in benè constitutâ Rep. complecti debent.

Objectum legis civilis virtus & præcipuè Justitia.

XXXII. Aristoteles 5. Eth. c. 1. ita istud explicat: *Præcipit autem Lex viri fortis muneribus fungi, ut locum atq; ordinem in acie tenere, neq; fugere, neq; arma abjicere: & temperantis, ut non adulterari, neq; cuiquam stuprum inferre; & lenis ac mansueti, ut neminem verberare, neq; cuiquam maledicere. Itemq; in cæteris virtutibus ac vitiis partim jubendo, partim vetando, rectè quidem ea lex, quæ rectè & salutariter, perperam autem, quæ negligenter & inconsideratè lata est.* Hæc ille: è quibus apparet, nullas esse virtutis actiones, quas

quas non lex aliqua civilis in Rep. posſit jubere, nullas item vitiorum, quas eadem nequeat prohibere. Interim quia communitati seſe accommodat, in quâ non omnia puniri poſſunt, ideò nec omnia prohiberi etiam convenit, sed multa sæpè in Republ. diſsimulantur, non quòd lex ea approbet, sed quia humana poteſtas hominum vitiis corrigendis extirpandisvé impar est.

XXXIII. Unde jam facilè apparet, etsi de essentiâ legis in genere non sit esse bonam, de ejus tamen esse, quæ in optimâ Republ. fertur aut ferenda est. Cumq́; & nos de ejusmodi jam Rep. præcepta demus, meritò requirimus & illud, ut omnes leges ad optimum finem tendant, tandemq́; ad primam illam naturalemque reduci poſsint.

sint. Atq; hîc locum istud Augustini habet *lib. 1. de lib. arbitrio C. 5.* ubi; *Mihi lex esse non videtur*, ait, *quæ justa non est.* Nec non illud Marsilii ex Platone deductum: *Institutiones principum cùm veræ non sunt, nec ad optimum recto calle proficiscuntur, leges minimè sunt, sed decreta, edicta, instituta potius, quàm leges. A lege namq; legitimum, à legitimo justum, à justo bonum, rectum, verumq; opus sæpe numero nominatur, propterea legem veram bonamq; esse necessum est.* Et sanè ita fieri oportet in Rep. optimâ, in quâ nec civem bonum à bono viro distingui explicatum à nobis est alibi.

XXXIV. Itaq; & Cicero *l. 2. de ll.* cùm multis demonstrâsset, primos legislatores civibus suis recepisse, ea sese scripturos atq; laturos, quibus illi admissis susceptisque honestè ac beatè vi-

ve-

verent, tandem concludit: eos qui pernicioſa & injuſta populis juſſa deſcripſerint, cùm contrà fecerint, quàm polliciti profeſsiq; ſint, quidvis potius tuliſſe, quàm leges: ut perſpicuum eſſe poſsit, in ipſo nomine legis interpretando ineſſe vim & ſententiam juſti & juris colendi. Etenim proprius effectus legum optimarum ſecundum Platonicos eſt, viros pariter & cives bonos reddere, quippe cùm eæ tantùm optimæ cenſendæ ſint, ut ait Diodorus Siculus *l. 1. hiſtor. quæ non opibus maximè homines cumulent, ſed quæ morum humanitate & rerum civilium prudentiâ quàm inſtructiſsimos efficiant.* Itaq; Legislator, qui vivendi artifex eſt aut eſſe ſaltem debet, id agat præcipuè, ut non tàm circa vitæ inſtrumenta, quàm ipſam totam vitam occupatus ſit.

Legislator ingenia perspecta habeat eorum quibus fert leges.

XXXV. Et sicuti Medicus præstantia Pharmaca propinaturus ægroto, corporis constitutionem & temperamentum ante omnia explorat, ne vel valentiore medicamento noceat, vel imbecilliore frustra agat; ita Legislator ingenia eorum perspectissima habeat necessum est, quibus leges est cum fructu laturus. Aliæ enim gentes flexiles, aliæ superbæ, humiles aliæ, aliæ laboriosæ, aliæ inertes, aliæ frugi sunt, nec eadē leges ferre leves & constantes, placidæ & iracundæ possunt. Exemplis res facilè demonstraretur, nisi jam nimium excrevisset sermo, & me etiam tacente pateret, *exitio sæpe esse aliis, aliis quod est saluti.* Quantam autem ea res prudentiam requirat, ipsa multitudo ac diversitas mortalium satis apertè consi-

Quod summæ prudentiæ opus.

de-

deranti demonstrat, ut vel inde constet, quâ de causâ legum originem Plato ex parte in Minervam sapientiæ ac prudentiæ Deam retulerit.

XXXVI. Sed hæc de re præcepta dari vix possunt: ad alia ergo pergimus, quæ & ipsa ignorari non debent. Et quidem quis ferre legem vel debeat vel possit, Dissertatione sequenti videbimus, quales autem eæ & quot sint ferendæ, ut commodissimè secundum eas vivatur, paucis nunc indicandum est. *Sit* ergo *Lex omnis* 1. *justa*. 2. *æquabilis*. 3. *moderata*. Est autem justa, quando & jubet, quæ *justa* sunt, & *justè* ea jubet. Si enim injusta jubet, non obligat quenquam ad parendum. propterea quòd injusta legi naturæ ac Dei adversentur, quæ ut antea demonstravimus, mortales

Qualis esse lex debeat.

Justa sit.

les universos obligant, ita ut nemo resistere iis possit. Talis fuit illa, cujus Cicero mentionem facit *l. 1. de ll.* quam interrex tulerat, *ut Dictator, quem vellet civium, indictâ causâ posset occidere.* Talis etiam fuit *lex Voconia* inter secundum & postremum bellum Carthaginense lata: *Ne quis hæredem fœminam faceret, etiam unicam filiam. Quâ lege,* inquit Augustinus, *quid iniquius dici aut cogitari possit, ignoro.*

XXXVII. Non dicam de Indorum impiis legibus, quæ parentum & cognatorum carnes non tantùm in epulas conferre jubebant, sed & illud concedebant, ut ne morbo deteriores fierent, occidere ægrotos liceret, hac excusatione seu causâ adhibitâ: *Tu corrumpis mihi carnes;* quibus aliquantò mitiores Isse-

sedones erant, quòd mortuis demum parentibus vescerentur. Neq; alias Æthiopum, Ægyptiorum, Nasamonum, Pœnorum, Massagetarum, Arabum, Medorum, Romanorumque injustissimas constitutiones enumerabo, quarum infinitus ferè numerus facilè probaret, gentibus sæpe totis publicè mala placuisse. Illud indicasse sufficit, justam non esse legem, nisi quæ justa sunt, jubeat. Verumenimverò neq; hoc sufficit; sed ut justè etiam ea imperet requiritur: h. e. ut autoritatem legitimam & jurisdictionem habeat, alioquin nec lex erit, nec obligandi vim habebit, ut alibi rectius demonstrabitur.

XXXVIII. Ex eodem justi fonte etiam illud profluit, quod secundo loco requisivimus, ni- *Æquabile sit.*

mirum *æquabilem* esse legem omnem debere: justa enim profectò non sunt, quæ æqualia non sunt, neq; justum in Rep. quærit, qui leges in unius partis gratiam, in alterius verò fert detrimentum. Fundamentum certè pacis & tranquillitatis in rep. æqualitatem esse, & ipsa ratio dictitat, & Aristoteles *l. 5. Ethic. c. 10.* eruditissimè demonstrat, quem hac occasione videbit, qui accuratius ista cupiet cognoscere. Si ergo Legislator id agit solummodo, ut vel Regis, vel Optimatum potentia quæratur, ut illi ingentes splendentis luti acervos struant, & immensas sibi comportent divitias, ceteri interim vel bonis exuantur, vel opprimantur penitus, non illi leges ferunt, non consilia suppeditant, non bonum publicum curant; sed ad se-

Quomodo id fiat?

seditiones, intestina bella, aliosq; incurabiles Reip. morbos viam parant, qui certo eam ac festinanti gradu ad fatalem ducunt metam.

XXXIX. Denique *moderatam* esse legem quamcunq; oportere diximus, quæ moderatio in duobus consistit. 1. in ipso rerum genere, quod lex præcipit, id enim tale esse debet, ut fieri possit. Quod enim supra nostram potestatem est, mandari non debet, multo minus quenquam vel ad observantiam vel ad pœnam obligabit. Certè de rebus prorsus impossibilibus legem ferre aut Tyranni est, aut hominis prorsus insani, ut si quis jubeat ambulantem in Sole non calefieri, aut digito cœlum tangere, &c. nec meliori nomine dignos judico, qui adeò difficilia jubent, ut si fragili-

Sit Moderata.

1. *Impossibilia aut nimis difficilia non jubeat.*

litatem aut vires subditorum jam debilitatas spectes, pro impossibilibus non immerito habeantur. Qualia Pharao Ægypti Tyrannus, omnium Tyrannorum quasi exemplar, mandabat populo Israëlitico, quando dicebat: *Non do vobis paleas, ite & colligite ficubi invenire poteritis; nec minuetur quicquam de opere vestro.* Nolite imitari Reges ac Principes: non jubete impossibilia, non postulate gravia, nimis onerosa cervicibus subditorum non imponite. Clamabunt ad DEUM miseri ac suppressi, & JEHOVA eos exaudiet, suamq; veritatem obtinebit illud: *Cùm duplicantur lateres, venit Moses.*

2. *In pœnæ ipsa sit moderatio.*

XL. Consistit 2. illa moderatio in pœnâ violatoribus constitutâ; quæ semper intra culpæ meritum sisti debet, nisi forte ni-

nimis atrox fuerit facinus. Plus quàm crudeles fuêre Draconis leges, quæ otium & desidiam morte puniebant, aliisq; minimis etiam erroribus Capitale supplicium irrogabant. Modum ergo puniendi servari jubemus, non omninò pœnam tollimus: crudelitatem non admittimus, sed clementiæ temperamentum desideramus, ut pœnæ non tàm vindictæ sint, quàm exempla. Idq; ex Platone didicit, nos verò docuit Romanorum sapientissimus *lib. 1. Cap. 16. de irâ*, ubi: *Nemo prudens*, ait, *idèo punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. Revocari enim præterita non possunt, futura prohibentur. Et quos videt nequitiæ malè cedentis exempla fieri, palàm occidet, non tantùm ut pereant ipsi, sed ut alios pereundo deterreant.* Et paulò antè: *Dimittit sæpe eum*, inquit, *cujus peccatum depre-*

hendit, si pœnitentia facti spem bonam pollicetur, si intelligit non ex alto venire nequitiam, sed summo quod ajunt animo inhærere. Idem delictum in duobus non eodem modo afficiet, si alter per negligentiam admisit, alter curavit, ut nocens esset.

XLI. Legi omnino debet totum illud caput, tum quod omnia sint & jucundissima & utilissima, quæ eo traduntur, tum præcipuè ob Cn. Pisonis crudele factum ibidem elegantissimè recitatum. *Hæc enim cuiq; expendenda æstimandaq; esse* ipse vir sapiens addit, *ut videat, quam debeat omni perturbatione liber accedere ad rem summâ diligentiâ tractandam potestatem vitæ necisq;.* Sævities igitur omnis atq; crudelitas tollenda à legibus est, vel si gravia supplicia constituta jam sunt, mitigari interdum debent, ut Seneca suadet. Interim nul-

Sævitiâ careant leges.

nullius tanta sit sive potentia, sive autoritas inter cives, ut legum pœnis prorsus eximatur. Magna enim incommoda afferuntur, cùm impunitatis fiduciâ audacter mala perpetrant potentiores aut ditiores: istaq; impunitas autoritatem & vim non solùm unius, verùm etiam omnium reliquarum legum imminuit ac labefactat, ait Aristoteles 5. *Polit. c. 8.* Ceterum de primariis octo pœnarum generibus, damno, vinculis, verberibus, talione, ignominia, exilio, servitute ac morte, ad quæ reliquæ omnes referri possunt, ut & de obligatione legum pœnalium dicere non admittit angustia temporis, itaque ad alia transimus.

Nec tamen impunita maneant scelera.

Genera pœnarum octo.

XLII. Explicatâ igitur qualitate legum, de Quantitate paucis aliquid monendum. De

quâ sic censeo: Et breves esse debere & quàm fieri potest pauciſsimas. Prius per se manifestum est vel ex eo solùm, quòd Lex vitæ quædam regula esse debeat; & innuit Seneca *Ep* 94. ubi *Legem*, inquit, *brevem esse oportet, quò facilius ab imperitis teneatur, velut emissa divinitus vox sit: jubeat, non disputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quàm lex cum Prologo. Mone, dic quid me velis fecisse. Non disco, sed pareo.* Posterius consensu omnium Politicorum comprobatur, & ipse etiam, quem jam laudavimus, ejusdem epistolæ verbis paululum præcedentibus non obscurè monstrat, quando *Sapientis*, inquit, *Præcepta* (ad quæ suo modo leges etiam referri posse extra controversiam est) *finita esse debent & certa, si quæ finiri non possunt, extra Sapientiam sunt, Sapientia rerum ter-*

Breves sint leges.

Et pauca.

mi-

minos novit. Ita sapiens & quidem sapientissimè sapit: incredibile enim est, quantum sit in Rep. fraudum, ubi legum multitudinem hominum nemo capere potest.

XLIII. *Solon* Legislatorum prudentissimus leges pauciss*i*mas tulit, & adhuc pauciores *Lycurgus*, quemadmodum ex antiquitate constat. *Tuisco* autem Germanus, ut Aventinus *lib. 1. Chron.* docet, adeò paucis contentus fuit, ut eas cantilenis incluserit, id quod Agathyrsis etiam in more fuisse suprà ex Aristotele tradidimus. Romani ab initio pauciss*i*mas etiam *à Romulo* accepêre, quas postea *duodecim tabulæ* sunt consecutæ, è quibus diutiss*i*mè ac constantiss*i*mè jus dictum fuisse Cicero non uno in loco demonstrat. Auctâ pòst multitudine legum,

Antiqui paucas habuêre.

Qua ratione in multitudinem creverint? LL. XII. tabb.

ipsius etiam nequitiæ malorumque morum numerus valdè auxît. Accesit autem tabularum duodecim legibus *Edictum Prætorium* (ita volumen appellabant, in quo edicta Prætorum designata erant) in quod duos primùm Commentariorum libros conscripsisse dicitur Servius Sulpitius, qui postea ut nonnulli tradunt, centum & octuaginta libros reliquit.

Edictum Prætoriũ.

Commentarii.

XLIV. Ipse Julius Cæsar Romanorum Imperatorũ primus jam sentiebat noxiam Reipubl. multitudinem illam legum ac librorum esse, adeoque de antiquandis nonnullis resecandisq; inutilibus, reliquis in ordinem redigendis cogitabat. Verùm sive rei bellicæ curâ sive morte ipsâ præpeditus non præ-

Multitudo legum noxia.

Quod sensit Julius Cæsar.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0354
DFG

præstitit quod volebat. Fecit tamen nonnihil Vespasianus, de quo Suetonius *in ejus vitâ, ipse*, inquit, *cùm litium series ubiq; excrevisset majorem in modum, sorte elegit, qui judicia quibus peragendis vix sufficitura litigatorum ætas videbatur, extra ordinem dijudicarent redigerentq; ad brevissimum numerum.* Nempe animadvertit prudentissimus Imperator novis casibus novas leges ponere nihil esse aliud, quàm Hydræ capita resecare, quippe quod non tantùm ex verbis, sed etiam dispunctiunculis novarum legũ novas controversias ac lites serere soleant illi, *qui*, ut loquitur Seneca, *argutas tractant ineptias*, aut ut leges ipsæ in Codice Justinianæo loquuntur, *qui aucupatione Syllabarum insidiantur cunctorum actibus.* *Vespasianus.*

XLV

Hadrianus. XLV. Quintus à Vespasiano Hadrianus cùm importunas interpretum subtilitates crevisse denuo cerneret, Salvii Jurisconsulti operâ *Edictum perpetuum* composuit, &, ut secundũ illud jus dicerẽt prætores mandavit. Sed nec istud à Commentariis salvum esse potuit, ut ipse conqueritur Justinianus, quando *Commentariis interpretum perpetuum edictum conturbatum profitetur.* Ad Tribonianum certè ita scribit: *Reperimus omnem legum tramitem, qui ab urbe Româ conditâ & Romuleis descendit temporibus, ita esse confusum, ut in infinitum extendatur, & nullius humanæ naturæ capacitate concludatur.* Hæc Justinianus, quibus gemina sunt, quę in confirmatione digestorum ad omnes populos nec non ad magnum Senatum perscripsit. Et in Procœmio digestorum tantam

Justinianus.

tam legum multitudinem fuisse dicit, ut eæ in librorum quidem duo millia, versuum autē tricies centena millia extenderentur. Utinam angustiorem adhuc in numerum istam voraginem concluſisset Imperator sacratisimus, fortè melius viveretur in Rep. neq; Germania litium multitudine mergeretur.

XLVI. Cavere quidem Pandectis suis voluit, *nè Commentariorum accessionibus onerarentur*, sed quomodo observent hanc cautionem, qui aliâs crimen læsæ Majestatis committi ilicò existimant, nisi quis omnia verba corporis Juridici credat, ipsi viderint. Numeret mihi Commentarios quisquam in singulas leges à Justiniani usq; tempore conscriptos, & ego vicissim maris arenulas supputabo. *Plures hodiè commentarii quàm leges.*

Non.

Non est, fateor, prorsus contemnendus iste labor, sed multitudine ac varietate laborat & mole suâ justitiam premit, rabuliq; & argutæ Causidicinæ litium prorogandarum ansam præbet. Eccur enim hodiè tota Europa in litibus est, &, quod deterius, à litibus solvi non potest? Eccur æternantur illæ & internatos natorum & qui nascuntur ab illis, agitãtur? Nempe tot sunt legum exceptiones excogitatæ, tot exceptionum exceptiones, & rursus harum interpretationes, tot denique earundem nepotes ac pronepotes, ut merito Imperatoris illa jam citata vox redeat: *nullius humanæ naturæ capacitate eas includi posse.*

Qui litium caussæ.

Consilium utile.

XLVII. Meritò servator imperii & pater patriæ diceretur Reip. princeps præsertim summus;

mus: Si 1. legum numerum coarctaret. 2. Obscuritatem suâ voce tolleret. 3. Superfluas subtilitates resecaret. Et 4. (quod omnium foret utilissimum) illud sanciret, ut inter ἐναντιοφανῆς una sit rata, altera antiquetur. Nam profectò homines fuere harum legum autores, quiq; pugnantia potuêre dicere, quicquid in contrarium afferant conciliatores. Cujacius quidem distinctionem quandã universalem excogitavit, quâ omnes leges in concordiam redigi posse, ut ipse loquitur, existimat, nempe *si aliæ ad jus constitutionum benignum, aliæ ad veterum leges & jus severum referantur*; Sed quid hoc ad lites dirimendas sopiendasq; faciat, non video. Dum enim illi de Conciliatione legum disputant, dum hic jus severum, ille benignum urget,

Cujacii distinctio universalis.

Non dirimit lites.

get, interim fundum meum tenet advena, aut in malâ mansione longævas ego disputationes lugeo, ait rectissimè meo quidem judicio Conzius *lib. 5. de Republ. Cap. 11.*

Multitudo Causidicorum tollenda.

XLVIII. Quod si illud fortè fieri nequeat: etsi quid impediret quò minus fiat abeo penes quem est summa in Rep. potestas; saltem id curent inferiores in qualibet particulari Republ. Magistratus, ut & pauci sint Causidici, pro cujuslibet tamè loci conditione ac statu, & ii optimi. Utrumq; tota suadet antiquitas: Certè Plato *3. de legib.* signum malè constitutæ reip. esse pronunciat, si multi in eâ legũ interpretes inveniantur, quippe qui indicant multitudinem litium ex legum multitudine aut obscuritate natarum, *Multi enim medici & multi causſidici ma-*

Ea signum est corruptæ Reip.

malæ Reip. signa sunt: hi quòd litigiosos, illi, quòd gulosos & intemperantes homines designent. Et quemadmodum Medicorum multitudine symptomata irritantur, ita legum variâ interpretatione novantur injuriæ. Etsi enim leges bonæ sint, & sanctæ etiam merito habeantur, adhibentur tamen à pravis ad injuriam, quod fieri aliter non potest, ubi nimius est numerus advocatorum.

XLIX. Veros Jurisconsultos justitiæq; venerandos antistites non contemnimus, quin potius principes, nobiles & optimos quosque in Republ. veræ Jurisprudentiæ operam dare cupimus; (Scimus enim verum esse illud Platonis *6. de ll. omnis civitas desinit esse civitas, in quâ tribunalia non sunt recto ordine constituta*: rectè autem constitui nequeunt, si legum

Veri JCti non contemnuntur

gum aut principes aut optima-
tes sint imperiti.) sed eos tol-
Sed rabulæ forenses. lendos è Rep. suademus, qui ad-
vocatos sese vocare non erube-
scunt, cùm ne procuratorum
quidem sustinere vices possint,
quiq; ut ait Lucilius apud La-
ctantium, *huic uni solent studio se
dedere & arti, verba dare ut cautè
possint, pugnare dolosè, blanditiâ cer-
tare, bonos viros se simulare, insidias
facere, ut si hostes sint omnibus omnes.*
Qui Jcti non sunt. Ilienim neq; Jurisconsulti sunt,
quia ut Petronius Arbiter lo-
quitur, *cruda studia propellunt in
forum*, neq; advocati, quia nun-
quam viri boni officium didi-
cêre, adeoq; non justitiæ mili-
tant, sed avaritiæ suæ, quod pro-
prium Rabularum est, velifi-
cantur.

*Sed deho-
nestamenta
tanti no-
minis.* L. Reperies in iis, qui nec
justum ab injusto, nec bonum
à malo unquam didicêre discer-
nere:

nere: quid mirum itaq; , si *malum bonum & bonum malum , tenebras lucem & lucem tenebras , amarum dulce & dulce amarum vocant,* ut loquitur JEHOVA apud Esaiam Cap. 20? quid mirum, si eos sanctissimo Advocati nomine dignos non judicemus, sed ut raptores, Piratas, latrones, in foro atq; ipsius civitatis conspectu securè prædantes detestemur? Optandum esset, ut omnibus ejusmodi advocatis id faceret Magistratus, quod de Galeacio duce Mediolanensiũ Lipsius *Cap. 10. Monitorum Politicorum refert*: is enim cùm aliquoties audisset vafro ingenio Causidicum esse, qui lites serere & fatas producere atq; alere posset, hominem ad se accitum ita affatur: Debeo, inquit, pistori meo centum aureos: non lubet solvere, tu ecquid me in jure tueri

tueri & rem protollere potes? Annuit ille largiter, sed malo suo: nam fraudis sic confessum verbis prius castigatum duriter laqueo publicè necari jussit.

Quàm noxii sint Reip. demonstratur

LI. Concludat hunc locum elegantissima hominis prudentissimi, & quamvis ad fictum regem, verissima tamen Oratio, quæ est in Argenide *extremo lib. 3. Isti advocati*, ait ille, *patroni, scriptores, lictoresq; adeò numerum superant, ut pauciores sint agricolæ, pauciores qui in mercaturâ vertantur regnumvè custodiunt. Unde verò tanta illa gens vivit, nisi ex injuriâ populi, ex clade & sanguine miserorum? eo quidem majori Reip. detrimento, quod si inter pauciores sed spectati candoris advocationum munus esset, tot illa ingenia, quæ noxiâ calliditate se corrumpunt, melioribus studiis ornarent patriam, disciplinas autem artesq; aut proderent novas, aut inven-*

ventas excolerent. Ita hæc pestis non modò malorum est rea, quæ infert, sed bonorum præterea, quæ adimit. At excusabis multitudinem comitialium hominum (permitte sic vocari hos jurgiorum præceptores) ex litigantium numero, quibus omnia fora ægrè sufficiunt. Per pauciores enim agi tot causas, tot explicari negotia non posse. Imò verò ex Judicum & Patronorum numero crescunt lites aut subsident, &c. Reliqua elegantissimè ibi pertexit, & præterea consilium suppeditat, quo observato litium illa protractio & in infinitum usq; extensio facilè præpediretur; quod utinam omnes Magistratus & cognoscerent & exequerentur.

LII. Illud adhuc de legibus monemus, haud facilè mutandas eas aut veteribus novas substituendas esse. Habere enim aliquid æternitatis etiam

Leges non facilè mutanda.

positivæ leges videntur ; tum quòd non moriantur cum Legislatore, tum quòd posteros etiam obligent ; sed tamen prorsus immurabiles non sunt, quâ de re legendus omnino Aristoteles *l. 2. Polit c. 6.* ubi copiosè satis in utramq; differit partem. De interpretatione earundem tria observanda esse puto.

Interpretatio legum triplex.

1. Triplicem eam esse: Authenticam, Usualem, & Doctrinalem.

Authentica.

Authentica est solius Magistratus, aut ejus, qui potestatem condendi leges in Rep. habet: Est namque ea quasi nova quædam lex, quòd sententia supremi principis vim legis obtineat, ut passim in corpore inculcatur.

Usualis.

Usualis est, quæ consuetudine & usu jam obtinuit, eaq; maximè hodie est recepta in judiciis.

Doctrinalis.

Doctrinalis est interpretatio Doctorum, quæ non tàm pro-

pronunciando, quàm censendo legem interpretatur: & ejus quidem autoritas propter maximas dissensiones magnâ ex parte jam periit, ita ut non nisi cum legibus recipiatur.

LIII. 2. Fugiendas esse in interpretationibus legum omnes inutiles ac supervacaneas subtilitates, quæ vel obscuritatem non tollunt, vel nihil ad sopiendas lites faciunt. Exemplum unicum tantùm hoc affero è *lib. 6. Senecæ de benef. c. 5. Jurisconsultorum*, inquit ibi, *istæ acutæ ineptiæ sunt, qui hæreditatem negant usucapi posse, sed ea quæ in hæreditate sunt; tanquam quidquam aliud sit hæreditas, quàm ea quæ in hæreditate sunt.* 3. deniq; non omnibus promiscuè concedendum esse, ut legum interpretationes cudant, sed iis tantùm, qui accuratè non tantùm Jurisprudentiæ,

Inutiles subtilitates non sunt interpretationes sed remoræ.

Non omnibus interpretari leges licet.

sed civili etiam sapientiæ cæterisq; solidioris eruditionis partibus operam dedêre. Etenim prudentiâ ad hanc rem & eâ quidem exquisitissimâ opus est; non autoritas sufficit, non dignitas, non pecuniæ, non fastus, non deniq; nummis acquisita insignia, tituli, gradus. Etsi proh dolor eò nunc stultitiæ devenerint mortalium quam plurimi, ut non qualis quisque sit, sed quo vocetur nomine quærant, & cum titulis ipsam etiam conferri posse eruditionem existiment.

Sed prudentibus & eruditis.

LIV. Unde Doctorem esse hoc tempore oportet, doctum non adeò necesse est, ut multi putant. Quin etiam quò magis in illiteratis ejusmodi literis superbire quis potest, eò propius ad consummatum Jurisconsultum accedere sese existimat; reli-

Tales statim non sunt qui titulo splendente nitent.

siquos, qui titulo nondum publicè sunt insigniti, *hactenus nihil esse* palàm profatur, cumq; literas accuratiores idem ignoret, de aliorum tamen eruditione judicat, aliis consilium dat, quid discere oporteat, & studiorum censorem agit, quorum nullam habuit unquam cognitionem. Quasi verò an duo fratres facietenus sibi invicem similes sint, judicare possit is, qui alterutrum tantum, vel neutrũ eorum vidit. *Si de præstantiâ tuæ alteriusq; eruditionis judicaturus es, utriusq; te capacem esse oportet.* Sed ut dixi ejusmodi Juristis (Jurisconsulti enim non sunt) interpretatio legum in Repub. committi non debet: quia ut habet antiqua Scholiastarum regula, *nemo tenetur facere id, quod non potest.* Horum in numero ille fuit, qui jam publicè in Italia re-

nunciandus Doctor, cùm Jurisconsultum quendam prælegentem & multis citatis autoribus etiam hæc verba subnectentem audiret: Et Alexander de Immola ac sequaces: ad proximè sibi adstantem sese convertens, *Quis*, inquit, *est ille Sequaces?*

LV. Votum feciſtis Deo risui? en habetis in hoc homine materiam unde litemini. O studia, ô mores! Abstergite quæso istas nebulas & aliquando verum intuemini. Nolite fidem habere iis, qui rectè sapere extremam dementiam esse existimant, vel saltem existimare videntur. Quin potius è fundamentis discite, quicquid posteà alios estis docturi, quicquid in Ecclesiæ ac Reip. commodum conversuri. Nos finem etiam huic imponimus dissertationi; etsi

etsi ferè nolentes, cùm multò adhuc plura monere de insigni hac atq; prænobili materiâ potuissemus, nisi iam tum justo fuissemus prolixiores. Ex hisce tamen, quæ dicta sunt, facilè percipitur, quæ sit natura, quæ origo, quæ dignitas legum, quodque iis, ut nunc est hominum conditio, carere Resp. nequeat. Compendium tantum earum etsi sperare vix audemus, optamus tamen, ut si non finis, saltem modus aliquis esse possit litium & rixarum.

DISSERTATIO VII.

De

MAGISTRATU.

Respondente

PETRO PISTORIO

Freienwaldiä-Marchico.

Aphor. I.

HActenus de Legibus actum, easq; summè necessarias esse Reip. demonstratum est; nunc de Magistratu dicendum, quem & autorem legum humanarum & custodem cum Platone aliisque sapientibus facimus. Imò Legem esse & ipsum existimamus cum Xenophonte, *qui* in Pædia Cyri *meliores quidem effici homines ait etiam legibus scriptis; at bonum Magistratum hominibus esse legem*

Magistratus & custos & autor legis.

gem viventem. Cui & Cicero adstipulatur *l. 3. de ll.* ubi statim sub initium: *Magistratus*, inquit, *hanc esse vim videtis, ut præsit, præscribatq; recta & utilia, & conjuncta cum legibus. Ut enim Magistratibus leges, ita populo præsunt Magistratus: veregq; dici potest, Magistratum legem esse loquentem, legem autem esse mutum Magistrum.* E quibus omnibus manifestum est, nihil esse verius, quàm quod Aristoteles *6. Polit. c. 8.* in principio ait: *Nec esse posse civitatem sine Magistratibus necessariis, nec recte sine iis, quæ pertinent ad rectum ordinem & ornatum, administrari.*

II. Ad quæ quidem verba elegantissimè in Paraphrasi seculi nostri Varro: *Magistratus*, inquit, *vel inserviunt necessitati; sine quibus esse civitas non potest: vel decoro & ornatui, sine quibus ut oportet h. e, commodè ac dignè habitari civi-*

tas non potest: neq; enim hoc spectatur tantùm, ut sit civitas; sed inprimis ut & benè in eâ ac beatè vivant ejus cives. *Necessitatem* insinuat Cicero loco citato hisce verbis: *Magistratibus igitur opus est, sine quorum prudentiâ ac diligentiâ esse civitas non potest*; *Ornatum* paululum præcedentibus ita exponit, ut ex ipsius naturæ formositate & totius hujus machinæ, quam ob summam pulcritudinem mundum vocamus, eam arcessat, quando: *Nihil*, inquit, *tam aptum est ad jus conditionemq; natura, quàm imperium* (i. e. Magistratus) *sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse Mundus potest. Nam & hic Deo paret, & huic obediunt maria, terræq;, & hominum vita justis suprema legis obtemperat.* Et cetera quæ ibi necessariò videnda existimo.

Magistratus necessitas.

III. Con-

III. Constabit enim cuivis, optimè etiam hac in parte naturæ principia, è quibus universum Sapientiæ civilis studium profieiscitur, cum revelationis principiis, quæ è sacro Codice hauriuntur, convenire, neq; ullam hîc vel apparentem reperiri pugnam posse. Quid enim aliud dicit Cicero loco jam citato, cùm ipsi DEO ac naturæ Magistratus originem attribuit, quàm, quod ait Apostolus *ad Rom. 13, 2.* quando *non est*, inquit, *potestas nisi à Deo: quæ autem sunt potestates, à DEO ordinatæ sunt. Itaq; qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit.* Neq; verò Philosophi tantùm ita sentiunt, sed Poëtæ etiam & illorum quidem omnium parens Homerus, qui *lib. 2. Iliad. v. 98. Jovis alumnos* vocat eos, penes quos est potestas in Republica. Et alibi: ἐκ δὲ Διὸς βασι-

Philosophi hâc de re scripturæ conveniens tia statuunt.

Imò etiam Poetæ.

βασιλῆες ait, i.e. ex Jove originem suam reges deducunt. Et *lib. 1. v. 126.* non tantùm eadem habet, sed etiam omnes reges instruit, ut exemplo Agamemnonis maximè in DEI auxilio spem collocent potius, quàm in hominibus, adeoque ei soli confidant, à quo sceptra communicata obtinent.

Agamemnonis adversus Achillem sermo.

IV. Ita nimirum Agamemnonem quasi loquentem adversus Achillem introducit: Etiamsi tu abieris Achilles, sunt tamen mihi alii præterea Heroes, qui mei honoris & gloriæ studium amplectentur, quod equidem tanti non facio, ut in illorum operâ penitus conquiescam. Etenim *totum me in Jovis custodiam dedo, qui meas nunquam est deserturus partes.* Cumq; fortitudinem suam atque scientiam militarem antea miris modis ja-

jactâsset Achilles, etiam illum fastum ac superbiam ibidem deprimit Agamemnon; & non quidem latere se ait insignem ejus fortitudinem, sed ob eam tamen gloriari illum non debere, cùm à DEO hoc donum acceperit. Turpe autem esse, quæ aliunde acceperimus, pro nostris jactare. Quo sermone nihil excogitari nedum dici potest, quod pium hominem magis deceat, maximumque piaculum est, etiam inter Christianos reperiri principes, qui vel ista non agnoscant, vel contemnant. Discant ergò vel à Gentilibus, frustra bella geri, nisi DEUS opem ferat, ut Pindarus & Solon dicebant: discant non esse resistendum ei, cujus autoritatem salvam voluit ipse omnium Dominus ac moderator JEHOVA.

Eum Christiani imitari debent.

Cur Politicus agat de Magistratu

V. Quod si rationem à nobis exigas, ob quam de Magistratu in Politicis instituatur tractatio; ad Aristotelem te ablegamus, qui *l. 4. Polit. C. 14. & 6. Polit. C. 8.* sufficientissimam eam proponit. Cùm enim tres sint præcipuè totius Reip. partes; *Senatus* seu Consiliũ, quam βουλὴν vocat Philosophus, *Magistratus*, quam ἀρχὴν, & denique *Judicia*, quæ δικαστήρια appellat, mediam tamen illam ideo maximè necessariam omniumq; præstantissimam judicat, quòd reliquas sub sese complectatur. Nam qui potestatem habet mandandi & imperandi ea, quæ videntur ex usu ac necessitate Reip. is etiam consultationes instituit ac judicia exercet, aut instituere saltem atq; exercere alios jubet. Formalis quippe ratio, & ut loquitur Aristoteles,

les, proprium munus Magistratuum est ἐπιτάττειν i. e. jubére & ordinare ea, quæ recta, utilia, & cum legibus sunt conjuncta. Unde definitur, *Persona publica in potestate aliqua constituta, per quam jus habet tàm imperandi ea, quæ fieri vel non fieri debent, quàm cogendi & puniendi inobedientes & delinquentes.* *Magistratus definitio.*

VI. Et *lib. 4. C. 15.* *Eos* autem, inquit, *propriè dicendos esse Magistratus arbitramur, quibus consultandi, judicandi aut postremo imperandi competit potestas. Et postremos quidem propriè ac jure quasi suo ita dici arbitramur.* Ut ita dupliciter accipi videamus hanc vocem, *latè* pro omni eo, qui potestatem aliquam habet, *strictè* pro eo, qui jus consultandi, judicandi & imperandi in Rep. aliqua obtinet. Et quamvis hæc distinctio, ut ipse ibidem ait, usum prope nul- *Vocis acceptio duplex.*

nullum habeat (nullum enim est judicium, quod de vocabulis in ullâ civitate aut vocibus moveri solet) nonnullam tamen ea res meretur disquisitionem, estque ut alia quædam disquisitionis Philosophicæ. Ceterum de iis, qui propriè & strictè loquendo Magistratus appellantur, hoc loco agendum est, quos quidem Plato *l. 2. de Rep.* custodes appellat, ut jam monuimus, eosq; canibus non uno loco comparat. Sicut enim istud animal erga domesticos blandum est, erga exteros verò & fures præcipuè ferox & asperum; ita etiam bonus Magistratus erga bonos cives benevolus & amicus, erga malos verò & improbos durus & severus esse debet.

Magistratus canibus similis.

Notæ seu observationes duæ.

VII. Antequam autem ad alia pergamus, duo adhuc monen-

nenda sunt. *Unum est*: istam Aristotelis descriptionem, quam è *1. Pol. C. 15.* jam adduximus, non esse collectivè sed distributivè accipiendam, ut monuit etiam Arnisæus *lib. 1. de Repub. C. 15.* ubi rectè dicit, injuriam Philosopho fieri à Bodino, qui *3. de Rep. C. 2.* illum insectatur & descriptionem istam exagitat, cùm tamen nunquam Aristotelis mentem (quod quidem plerumq; ei contingit, ubi contra hoc naturæ miraculum vires ingenii sui explicat) perceperit, sed in sensu composito, ut Logici loquuntur, accipiat, quod in sensu diviso erat accipiendum. 1.

Alterum: Nobis præcipuè sermonem h. l. futurum de Magistratu civili; nam Ecclesiasticus, quem nonnulli statuunt, nostræ considerationis non erit, cùm talem nisi valdè limitatum non con- 2. *De Magistratu Ecclesiastico hoc loco non agi.*

concedamus, secuti Aristotelem, qui eo ipso excludere hinc videtur Ecclesiasticos, quòd proprium Magistratus esse dicat ἐντάττειν: etsi clarius adhuc illud ipsum eloquatur sub initium statim ejusdem capitis, quando: *Non omnes ergo*, inquit, *qui vel suffragio, vel sorte designantur, Magistratus sunt dicendi. Et primum Sacerdotes. Id namq; aliud quid à civilibus Magistratibus est dicendum.* Hæc ille, è quibus omnibus apparet, civili tantum imperio propriè loquendo Magistratus nomen convenire.

Magistratus exemplar sit virtutis.

VIII. Is itaque Magistratus, quicunq; tandem sit, sive summus, sive medius, sive infimus, ita esse institutus debet, ut sit exemplar virtutis, quod reliqui cives intueantur & ad quod suam quoq; vitam conforment.

Un-

Unde Plato, cùm leges etiam optimas absque probatissimis Magistratibus mortuas, Magistratus autem optimos vel absque legibus scriptis vivas esse leges demonstrâsset, merito libris illis, quos de justo conscripsit, in excellenti Rep. non tâm in condendis legibus, quàm in formandis Magistratibus omni diligentiâ elaborat. Atq; id quidem non solùm à tenerâ ætate, verùm etiam ab ipso fœtu studiosè contendit, ut ita ex electis *seminibus* continuaq; culturâ ad optimam perveniat frugem. Eligit autem ad hanc rem ingenium præcipuè Philosophicũ, omnium sine controversiâ perspicacissimum. Idque ut ipse addit, ideò, quòd Magistratus custodes sint gregis humani, proprium autem custodum sit *prospicere & circumspicere*, id,

Ingenium habeat Philosophicum.

id quod in neminem rectius, quàm in Philosophum quadrat. Nam & veridicum esse debere custodem ait, & liberalem, & temperatum, & fortem & justum, & magnanimum deniq; & mansuetum, quæ omnia Philosophi propria esse dialog. 6. tractationis citatæ demonstrat.

IX. Et ne quis calumniandi ansam sibi hinc arripiat, pergit divinus Philosophus ibidem, qualem intelligat Sapientiæ Studiosum, explicare, eaq; occasione de spurio & adulterino Sapiente tractat, eumq; â legitimo, quem alter ille simulat, distinguit. Rursusq; de eâ Philosophandi formâ, quę ad illum ptæ ceteris pertinet, qui Remp. sit quandoq; recturus, discursum instituens hujus ingenii excolendi disciplinam tradit. Assignat etiam causas deniq;, qui-

quibus ortæ in Philosophos sint calumniæ, quasi vel mali sint, vel Reip. inutiles: quarum *primam* hanc esse dicit, quòd multi quotidiè ad Philosophiæ studium ineptissimi, tàm parvo ingenio, quàm pravo judicio (ut loquitur Marsilius) non parvâ tamen ambitione vel avaritiâ Philosophiam invadant, ex ejusque commercio opiniones procreent adulterinas, malisq; moribus facultatem honorandam dehonestent. *Alteram* hanc statuit, quòd nonnulli, qui ad istud quidem studium quasi nati videntur, statim educatione malâ & consuetudine improbâ depraventur, vel si moribus integris permaneant, non tamen convenientibus disciplinis instruantur, aut instructi denique ad Rempub. non admittantur, vel ipsi etiam publicis

Causæ contemptus Philosophorum.

sese

ſeſe fluctibus immergere nolint, ſed certis periculis noxiâ ſeſe cautione ſubducant.

Verus Philoſophus qualis?

X. Poſtremo concludit ita comparatum eſſe verum Philoſophum, de quo nunc nobis ſermo eſt, oportere, ut duo in eo concurrant, quæ rarò aliâs in uno homine jungi ſolent. Natura videlicet ingenio acuta, contemplationi apta, veritatis deſiderio flagrans; & unà cum hac Natura etiam gravis, ad agendum ſtrenua, & boni publici potius, quàm privati provida, amans, ſtudioſa. Atq; hinc ſequenti dialogo non tantùm per omnes diſciplinarum gradus futurum Reip. cuſtodem duci jubet, ſed civilibus etiam actionibus eum vult exerceri, atque inter voluptates, dolores, labores, pericula, velut aurum igne diligenter examinari probariq;ue,

que, antequam rerum gubernacula sibi committantur. Unde jam constare arbitror, Magistratum non solùm probitate commendabilem, sed mentis etiam acrimoniâ rerumque variarum cognitione variaq; earundem experientiâ instructũ esse debere, ut non tantùm legis verba auribus hauriat, aut linguâ proloquatur, sed latentem etiam juris ἐνέργειαν videat, visam nullâ gratiâ, nullo odio abreptus negotiis civium totiusque adeo communitatis applicet. Quod & Aristoteles intelligit, quando ἐκ ἐῶμεν, inquit, ἄνθρωπον ἄρχειν, ἀλλὰ τὸν λόγον, id est, *non sinimus hominem imperare, sed mentem.*

Affectibus non sit obnoxius Magistratus.

XI. Neque enim affectibus obnoxii esse debent, qui bonum publicum tenentur quærere, aliâs sui honoris vel utilitatis gra-

gratiâ rebus gerendis operam dabunt, de communi commodo quid fiat parum soliciti. At bonus Magistratus, qui per rationem seu mentem imperat, nec ullis cupiditatibus vincitur vel præpeditur, nihil omnino, secundum Platonem, à bono patre differt. Sicut enim hic studium, diligentiam & assiduitatem domesticam liberorum cõmodo ante omnia impendit: ita ille curam omnem, consilia universa, & imperandi solertiam totam ad societatis commoditatem dirigit. Sic namq; in Timæo de custodibus Reip. loquitur: *Ita educatos homines neq; aurum, neq; argentum, neq; aliud quicquam proprium aut habere, aut putare statuimus, sed tanquam adjutores publicosq; Ministros solâ mercede contentos esse, tantâ ab his quos tuentur adhibitâ, quanta moderatè viventibus*

tibus sufficere videatur. Stipendio praterea publico in commune uti voluimus, & ad communem inter se victum impendere, ut ceteris posthabitis omnibus solius virtutis & custodiæ curam habeat.

XII. Nec verò à gravibus tantùm abstinere vitiis eos jubet, sed minutioribꝰ etiam vult ut careant, imò iis, quæ peccandi consuetudine ac licentiâ nomen etiam peccati amisêre. Igitur *l. 3. de Repub.* *Ab ebrietate*, inquit, *diximus iis abstinendum. Unicuiq; enim magú conceditur, quàm custodi, ut ebrietate gravatus, ubi terrarum sit, nesciat.* Nempe ridiculum esset custode indigere custodem; & *l. 2. circa finem.* ne audire quidem eos quicquam permittit, quod vel virtutis contemtum, vel vitii alicujus commendationem continere videatur. Unde omnia Poëtarum figmenta Diis ipsis

Vitia etiam minora fugiat.

vitii aliquid tribuentia nunquã proponenda dicit, si custodes pios ac divinos quoad homini possibile est habituri simus. Cumque magnum ibi Catalogum enarrasset eorum, quæ etsi vitia sint, Diis tamen ipsis ab Homero aliisque adscribuntur, hoc tandẽ Epiphonemate concludit: *Cùm ergo simplex sit omnino* DEUS, *& verax dictu & factu, neq; mutetur ipse, neq; alios decipiat, neq; per visiones, neq; per sermones, neq; per signa, neq; nobis dormientibus neq; vigilantibus; concedis etiam absq; dubio ita de Diis dicere & audire oportere tanquam qui neq; præstigiatores sint, neq; se mutent, neq; mendaciũ nos aut dictu aut factu seducant.*

XIII. Hæc Plato; quæ utinam observasset ejus in disciplinâ nepos Alexander Magnus; nunquam DEUM se credi voluisset, sed, fœdissimis vitiis obnoxius, ho-

hominem sensisset sese, qui falli posset & fallere. Falli, per imprudentiam & errorem; fallere, per malitiam aut fraudulentiã, quibus non tinctus, sed immersus erat. Verùm stolidam hanc divinitatis persuasionem & huic & Romanorum nonnullis Imperatoribus *adulatores* fecerant, homines ad corrumpendos principum animos non nati, sed ab ipso Dæmone quasi facti, qui semel in aulas principum admissi (harum enim propria sunt pestis, indeq; nomen sumserunt, ut adulatores quasi adaulatores dicantur) quàm lamentabilem ac tristem Reip. conditionem inducant, omnes historiæ loquuntur. *O cœcum regem*, exclamat meritò prudens quidam nostri ævi Politicus, *& sine sensu, qui inter servos suos discernere nequit, qui malì, qui fideles, &*

Adulatores non admittat.

quo quis animo aliquid ſuadeat diſſuadeatq́.

Peſtes Reip. maximas.

XIV. Nihil eſt, quod æquè noxium ſit Reip. quàm ſi Magiſtratus hiſce pecudibus auriculas patentes præbeat i.e. ſi quàm familiariſsimè utatur iis, qui in pernicie totius regni jurârunt. Id verò adulatores omnes hactenus feciſſe res ipſa loquitur. Dum enim ſupra modum potentiam principum extollunt & neſcio quid divinitatis nimię iis perſuadent, quid aliud quàm fomitem ſuppeditant vitiorū, Claſsicum canunt ad civilia bella, regnum ipſum prædam conſtituunt hoſtibus, & direptionem exteris, qui in eo latrocinia ſua exerceant. Cùm itaq; jure bono miſer dicendus ſit, in quo tam validè & contumaciter tyrannidem exercet mendacium, ut veritati locus eſſe

esse omnino non possit, caveat sibi Magistratus ab iis, qui sanctimoniæ & virtutis simulatione omne nefas struunt, & quibus colores atq; prætextus, per quos mendacia palliant, illud sunt, quod Latronibus Sicariisque densa esse nemora solent, in quæ se patratis facinoribus factisq; cædibus recondunt.

XV. Difficile Principi non erit, nosse illos Corruptores, ut palatium suum hisce quasi soricibus purget, cum satis aperta sint & ubivis obvia istius contagionis signa, è quibus tanquam characterib⁹ fraudulentæ fronti inustis bipedum nequissimos deprehendimus. E multis hæc tantum sufficiant: 1. enim laudant mala, & vitia principum virtutum nomine palliant, ebrietatem comitatem appellant, iracundiam magnanimi- 1.

Adulatorum characteres.

tatem dicunt, perfidiam pru-
2. dentiam vocant, &c. 2. Vera
bona nimium extollunt, & ex
homine DEUM facere conan-
3. tur. 3. Occasiones peccandi Ma-
4. gistratui offerunt. 4. Quoties
laudant, toties aliquid petunt,
& canum instar adulantur cau-
dâ, dum frustum projicitur,
5. cùm dederis, abeunt. Et 5. de-
niq; omnes disciplinas, Philoso-
phiam, Jurisprudentiam, Poli-
ticen, ipsam etiam reliquarum
Reginam Theologiam voluntati ejus attemperant, quem suâ
fraude eunt perditum. Vera igitur audire assuescant Magistratus, neq; unquam fidem habeant iis, qui vel peccata laudant, vel peccare in eorum gratiam sunt parati, *magnaq; auspicos scelera credant, qui delictorum studiosi sunt laudatores.*

XVI. De Eudæmonico Alexan-

xandri assentatore referunt, monuisse Regem, quo (etsi vita ejus à plerisq; mortalium turpissima haberetur) omni omnino culpâ immunem ostenderet, *ut tandem committeret aliquid mali.* Quis quæso immanius adulandi studium observavit unquam? Quamvis Anaxarchi etiam assentandi artificium seu maleficium potius insigne fuerit, quod refertur apud Laërtium *l. 9. C. 10.* cùm ad eundem Regem ob Clyti cædem mœstum *jus fasq; esse* diceret, *quæcunq; à rege committerentur.* Eum verò multi hodiè imitantur, qui dum omnia licere principi asserunt, imò malefacta etiam laudibus efferunt, augent injustitiam quam increpare debebant. At quid Scriptura dicit: *Væ illis*, inquit, *qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus & faciūt cervi-*

Eudæmonicus Alexandri adulator.

Anaxarchus item.

calia sub capite universæ ætatis. Ad hoc quippe pulvillus ponitur, ut mollius quiescatur. Quisquis ergo malè agentibus adulatur, pulvillum sub capite vel cubito jacentis ponit, ut qui corripi ex culpâ debuerat, in eâ fultus laudibus molliter quiescat. Nobis hac vice non placet adulari: non extollimus supra modum potentiam Magistratuum, Regum, principumq; auribus nihil nisi verum offerimus ac salutare, imò, quomodo quodq; accipiatur unicè securi, *bonos esse etiam jubemus, vera libenter audire hortamur.* Magnam etenim rectè factorum spem præbet, qui vera lubens admittit.

Magistratus subditus est Dei & civis universi.

XVII. Cives sunt & subditi, etiam summi Magistratus, ejus Reip. cui Deus præsidet, cui naturæ lex lata est, quæ non minus ipsos, quàm infimũ quemq; mor-

mortalium obligat. Peſsimè namq; Antonini Caracallæ noverca *Julia*, cùm privignus eam inteſtaturus diceret, *velle ſe ſi liceret*, reſpondebat, *licere ſi liberet*; *an ſe Imperatorem eſſe & leges non accipere, ſed dare, neſciret?* O beſtia! non dat naturæ leges Imperator, ſed accipit, civis eſt & ſubditus ejus, qui naturam ordinavit, adeoq; criminis reus & ipſe eſt maximi, ſi inobedientem ſe præbeat. Auguſtinus elegantiſſimè ea explicat *l.* 3. *confeſſion. C.* 8. *Flagitia, quæ ſunt contra naturam*, inquit, *ubiq; & ſemper deteſtanda ſunt, qualia Sodomitarum fuére, quæ ſi omnes gentes facerent, eodem criminis reatu divinâ lege tenerentur, quæ non ſic fecit homines, ut ſe illo uterentur modo, violatur quippe ipſa ſocietas, quæ cum DEO eſſe debet nobis, cum eadem natura, cujus ille autor eſt, libidinis perverſitate polluitur.* Hactenus

Ei non licet quod libet.

Augustinus, cujus verba in corpore etiam juris Canonici repetita leguntur.

XVIII. Et sanè si Magistratus, tanquam Vicarius Dei in terris, divinis sese non subjicit legibus, quo jure à civibus requiret, ut secundum sua decreta vivant, cùm ipsius menti inscriptum illud sit: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris?* Itaq; nullius tanta est sive Majestas sive potentia, ut honestatis eam præscripto opponere liceat; etsi cogi fortè à nemine ad observantiam ejus possit. Quin & illud argumentum esse beatæ Reip. optimiq; Magistratus existimamus, si suis etiam propriis legibus convenientem vitam agat, proportionaliter tamen, ut ait Thomas i.e. quantum dignitas & persona principis requirit. Idq; Plato etiam innuit, quan-

Non est solutus legibus naturalibus.

quando *l. 4. de legib in qua Civitate*, ait, *lex subdita est, ibi video perniciem ei paratam esse. In quâ verò lex Domina est principum, & principes servi sunt legis, ibi video salutem & omnia bona, quæ Dii benè moratis civitatibus dare solent.* Neronem omnes errâsse dicunt, quòd lege Juliâ in veneficos latâ sese teneri non putaret, cùm princeps summus esset: Locustam enim veneficam veneni, quod perdendo Britannico parabatur, exitialem vim temperare volentem (ad occultandam sc. facinoris invidiam) suâ manu verberabat, hanc quasi per Ironiam adjiciens vocem: *Ego verò legem Juliam timeo.*

XIX. Tota equidem illa controversia, *An princeps Majestatem habens solutus sit legibus humanis?* Explicari tam paucis lineis non potest; attingenda tamen est

breviter, ut quid mentis hîc habeamus, innoteſcat. Si igitur immediatè & per neceſſariam conſequentiam ex lege naturæ eæ deriventur, (id quod ab iis requirit Auguſtinus *l. 1. de libertate arbitrii Cap. 6.* ubi *nihil juſtum atq; legitimum eſſe* docet, *quod non ex æternâ DEI lege homines ſibi derivaverint*) negativæ ſubſcribimus, nec quenquam, quod mihi quidem conſtet, refragantem inveniemus. Sin aliter ſeſe habeant, non videtur difficultate eâq; inſigni hæc res carere. Expreſſa lex eſt *ff. de ll. 31.* quâ dicitur, principem legibus ſolutum eſſe, eaque de cauſſa plurimi JCtorum poſitivis eum legibus non teneri ſtatuunt: quibus tamen niſi rectius ſeſe explicent, aſſentiri nondum poſſumus; ſed Thomæ potius & Covarruviæ ſubſcribimus, qui teneri prin-

Imo nec humanis etiam à ſe latis.

principem ſtatuunt, ut iſtas quoq; leges, quas fert aliis, obſervet. Quod ut eò rectius intelligatur, nevé novi quid ſtatuere velle videamur, duæ ſunt ſupponendæ hypotheſes, quibus aſſertionis noſtræ nititur veritas.

XX. *Prima eſt:* Duo eſſe genera legum â principe ſeu Magiſtratu quocunq; in Rep. latarum, quorum unum commune, proprium alterum vocamus. *Leges communes* ſunt, quæ toti civitati, omnibusq; ejus partibus, & quidem ob cauſſas ſeu rationes æqualiter omnibus convenientes feruntur; *Propriæ*, quæ non omnibus, ſed certis quibuſdam civitatis membris latæ non niſi certa illa membra nec præter illa etiam alia obligant aut obligare poſſunt, ut ſi lex aliqua Mercatoribus, cereviſiæ

Ubi duo notanda. 1.

coctoribus, pistoribus, militibus, &c. constituatur. *Altera*: 2.
Triplex esse officium legis cujuscunque: 1. enim *ostendit seu monstrat*, quid vel fieri, vel omitti velit, quod etiam iis legibus est commune, quæ à Philosopho morali civilis sapientiæ studioso proponuntur; 2. *dirigit* eum, cui lata est, atq; eo modo obligat, ut faciat quæ jubet, aut omittat quæ prohibet, nisi peccare & conscientiam suam commaculare velit; 3. *Cogit* i. e. pœnam à delinquente postulat, & quasi vi suâ exigit. Unde autores citati vim legis in ostensivam, directivam & coactivam distinguunt.

Quomodo princeps suis legibus teneatur.

XXI. His ita suppositis, dicimus principem seu Magistratum, etiamsi Majestatem habeat, suis etiam h. e. positivis legibus teneri, easque observare de-

debere, non quidem omnino & simpliciter, sed secundum quid, & certâ limitatione annexâ. Nempe subjectus est legibus, *iis scilicet*, quas toti civitati & omnibus ejus membris tulit: Ratio hæc est, quia & ipse inter illa membra continetur: jam turpe esset, si pars, & præsertim caput non congrueret cum toto in iis quæ communia omnibus partibus esse debent, & ad totius salutem spectant. De Particularibus alia ratio est, iis enim ne quidem potest obligari, cùm prorsus ad se non spectent, imò cùm ne alios quidem cives præter illos certos ac determinatos concernant. Neque enim lex mercatoribus lata aut pistoribus obligare milites potest aut Sacerdotes, nisi fortè & ipsi mercaturam exerceant aut panes pinsant, quod

in benè constitutâ Rep. non admittitur. Nec legem militibus latam princeps observare tenetur, nisi ipse etiam militiæ interfit, ut per se est cuivis manifestum.

XXII. Dicimus porrò, teneri eundem respectu ejus efficaciæ, quam in legibus directivam esse diximus i. e. obligatur in suâ conscientiâ, ut faciat id, quod totam Remp. facere jussit, omittat autem quod eidem toti ut omitteret, mandavit, nisi peccare saltem videri velit. De vi autem vel ostensivâ, vel coactivâ hoc ipsum non potest intelligi; illa namque prorsus non obligat, cùm, ut antea dixi, Philosophorum etiam præceptis seu regulis insit, hæc in iis tantũ efficax est, qui inviti obedientiam legibus præstare coguntur. Nam juxta JCtos legis

of-

officia sunt prohibere, permittere, imperare, quibus quartum illud punire additur *l. 7. ff. de ll.* quod tamen non per se seu simpliciter ei convenire, sed per accidens & secundum quid tantùm alibi à nobis demonstratum est. Neq; abludere videtur à nostrâ sententiâ Marcianus, quando *l. 2. ff. de ll.* Demosthenis (ex Oratione adversus Aristogitonem) verba citat, qui legem esse dicit, *cui omnes homines obtemperare convenit*, tum ob alia multa, tum vel maximè eò quòd omnis lex inventum ac munus DEI sit; & Chrysippi, qui legem præsidem esse oportere dicit, & bonis & malis, & regulam eorum, *quæ naturâ sunt civilia animalia*; è quibus sanè nemo eximi velle debet.

XXIII. Quin & ipse Arnisæus, etsi tractatu de juribus Ma-

Majestatis statuere videatur, coactivam vim adeoque etiam pœnam de legis essentiâ esse, contrarium tamen nobiscum statuit *relection. Politic. lib. 1. Cap. 1. Sect. 3. num. 11.* ubi contra Mirandulam disputans, *non omnes*, inquit, *leges feruntur ad puniendos improbos, sed etiam ad præmiandos bonos.* Et paulo pòst falsum esse dicit leges ferri propter malos tantùm, cùm iisdem præmia & honores præfiniantur bonis. Si igitur bonis etiam leges feruntur, coactio autem sive pœna in bonos non cadit, quippe qui liberrimâ voluntate legibus conformem vitam agunt, utiqui non tàm coactio erit de essentiâ legis, quàm nuda obligatio, quæ ἐνέργεια suam etiam in vi directivâ obtinet, secundum quam Magistratum ipsum subesse legibus diximus, præsertim iis, quas

Coactio non est de essentia legis, uti nec pœna.

quas toti communitati tulit, cujus ipse etiam pars imò caput est. Nec sine naturalis legis violatione aliter facere potest. Hæc enim cùm aliis faciendum non esse jubeat, quod nobis fieri nolimus, hoc quoq; exigit, ut illud oneris quod nobis imponi nolumus, aliis etiam non imponamus, qui quoad rem, de quâ nunc sermo est, ejusdem nobiscum sint conditionis.

Legem naturæ violat qui suas leges non observat.

XXIV. Ne nunc dicam, Magistratum toties contra legem naturæ peccare, quoties non tàm efficaciter bona in Repub. jubet, & mala prohibet, quàm efficaciter jubere vel prohibere potest. At non esse tantam efficaciam legum, si ipse eas non servet, atque tum quando suo exemplo subditis præit, manifestius est, quàm ut probari opus sit. Ita enim evenire usu as-

Patere legem quam tuliſti.

aſsiduo eventuque vario compertum eſt, ut in eorum qui præſunt vitam, ii qui parent, veluti ſpeculum intuentes, dicta ſimul & facta diligenter animadvertant, eaq; omni ſtudio ac cupiditate imitentur. Nam

Regis ad exemplum totus componitur orbis,

ait veriſsimè Poëta: & nos jam ſuprà demonſtravimus, efficaciſsimam jubendi rationem eſſe, *vivere ut præcipiũ*, eamque hoc inprimis in ſe boni habere, quod probet, quę jubentur, fieri poſſe. Aliâs Chriſti illud non ſine magno & autoritatis & famæ & ſalutis deniq; diſpendio audire cogentur: *Dicunt & non faciunt: alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere, Matth. 23, 4.* Quâ de causâ in ſimili negotio Ser-

Servator Væ imprecatur ejusmodi hominibus *Luc.* 11, 4. Videatur *l.* 4. *C. d. ll.* 8. *finali institut. quib. mod. testament. infirm. Cap. omnes. extra de constitut.* & totus *Tit. ff. quod quisq; juris in alium statuit*, &c.

XXV. Atque hoc est, quod Nicephorus *lib.* 16. *histor. Eccles. Cap.* 1. ait, ubi de Zenonis luxuriâ verba faciens: *Ego vero dixerim*, inquit, *non ex eo verum Imperatorem, qui legibus solutus arbitrio ipse suo vivat, quod aliis imperet, æstimari. Verùm si in seipsum potius potestatem exerceat, neq; pravi quicquam animum suum subire sinat. Unde ille adversus fœditatem & turpitudinem invictus, & à libidine omni alienus perinde atq; animata virtutum effigies, cives subditosq; suos universos ad imitationem sui pertrahat.* Et rectè Ausonius in Monosyll:

Verus Imperator seu Princeps quis?

Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit Rex.

Ele-

Elegantissimè omniù Boethius *l. 3. de consol. Philosophiæ:*

Qui se volet esse potentem
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœdis submittat habenis.
Etenim licet Indica longè
Tellus tua jura tremiscat,
Et serviat ultima Thule,
Tamen atras pellere curas
Miseras q; fugare querelas
Non posse, potentia non est.

Videndus omnino hîc Seneca *lib. 1. de Clement. Cap. 11. & 12.* & Vellejus Paterculus *l. 2. in fine.*

Peritus sit Magistratus.

XXVI. Hactenus Bonum esse Magistratum jussimus, nunc tribus tantùm verbis de altero dicemus, cujus sub initium fecimus mentionem, nempe peritum esse debere rerum civilium. Magna equidem vis est ordinationis divinæ, ut sit in mundo potestas, & potestas illa à

Deo

Deo est, etiã tum quando à bonis ad malos, vel saltẽ à melioribus ad bonos transfertur, sed *magna temeritas est sine regendi scientiâ potestatem exercere velle.* Sicut enim Nauclerus fluctuũ maris, tempestatum, viarum, cautiumque & scopulorum imperitus & se & quos vehit facilè Neptuni faucibus immergit, & Ditis hæreditatem in regno silentum capessere jubet; ita Reip. navem tot animas illustres & Deo progenitas vehentem sæpe solius Magistratus sive inscitiâ, sive ignaviâ obruit. Iraq; cùm nemo nascatur artifex, à teneris unguiculis ad artium hanc artem i. e. regendi scientiam sunt erudiendi, qui cum fructu aliquando patriæ operam suam locatum eunt, ut maturè Rempubl. ejusque modum cognoscant, & vesticipes adhuc inter

Quæstione talis ebadat.

se

se non de eo *quod pueri se in fabâ reperisse clamitant*, sed de salute patriæ & Reipub. incolumitate fabulentur.

XXVII. Maturè discendum & diu tractandum sapientes suadent, quod nunquam perdiscitur & in perpetuum prodest; neque ex improviso talis vir nasci potest, qui suâ prudentiâ reliquorum sive omniũ sive plerorumque incolumitatem tueatur, etsi multi aliter sibi persuadeant. Unde passim hodiè erratur ab iis, qui ad gubernacula rerum adspirant, quorum duo tamen præcipuè sunt genera, ut prudentissimè observat Conzius 7. *Polit. Cap. 8. Quidam enim*, inquit, *scientiarum absolutâ Cyclopadiâ Jurisprudentiæ sese dedunt; quam cum perdidicerunt, ut jam esse aut videri Doctores possint, mox inexercitati alicujus Advocati,*

Error insignis taxatur.

Syn-

Syndici, Assessoris se disciplinam conferunt, ut formulas & praxin forensem experientiâ percipiant. Alii postquam modicè philosophati de formulis institutionum nonnihil gustârunt, peregrino habitu in patriam redeunt, & Rempub. capessunt, è quorum ruditate maxima incommoda nascuntur, autoritatem enim habent Consiliariorum & Magistratuum, ignorantiam Idiotarum. Hæc Conzius meo quidem judicio prudentissimè loco citato observat, ubi utrosq; à vero tramite longissimè aberrare docet.

XXVIII. Longius tamen posteriores absunt & majori cum Reip. detrimento, etsi sapientiam secum natam esse haud rarò arbitrentur. Priores enim illi saltem idonei aliquando judices aut advocati perfecti evadunt, quibus & ipsis Resp. carere nequit, quamvis summa

Reipub. gubernacula capeſſere hoc modo inſtructi non debebant. Plurium rerum cognitionem res hæc requirit, nec intra forenſium controverſiarũ anguſtias continetur. Prudentiâ opus eſt, eâque exquiſitiſsimâ, quæ & experientiâ & hiſtoriarum non perfunctoriâ lectione acquiritur: illi namq; eruditis ſemper infantes eſſe videntur, qui nihil ſciunt eorum, quæ acciderunt antequam ipſi naſcerentur. Legum certè rigore omnia in Rep. metiri velle, aut ſtrictam juris normam furenti ſæpe multitudini opponere, nihil eſt aliud, quàm torrenti per ſumma montium præcipitia ruenti obluctari. Sapientis Magiſtratus eſt, adverſus commotum & ſeditioſum nonnunquã populum non è veſtigio legum fulmina jacere, ſed de jure ſuo non-

Legum rigor interdum inutilis.

nonnihil decedere, ut laxatis desiderii eorum habenis paulatim deinde in rectum perducat tramitem. Quod quanti sit artificii, & quàm illuminatæ prudentiæ opus, eorum qui non potuerunt multitudo, qui potuerunt, paucitas demonstrat.

XXIX. Itaq; Practicæ Philosophiæ accuratius aliquanto, quàm vulgo fieri amat, deditos, & Historiarum lectione non leviter tinctos Adolescentes, si Reip. aliquando præfici debeant, Legatis ad Imperatorem, vel Principes, vel alios quoscunq; status mittendis adjungi suademus. Nunquam facilius negotiorum hominumq; naturam perspici, nusquam majori curâ ac sollicitudine verba nutusq; alienos observari & proprios regi prudentissimi quiq; existimant. Etenim *qui legationem*

Legatis jungendi futuri magistratus.

nem veluti summam esse dixerit, & brevem syndromen omniũ officiorum, quæ in Rep. geri solent, nihil falsi, ut equidem intelligo, statuerit. Falli enim & fallere existimo, qui nihil aliud eos habere putant quod agant, quàm ut exhibitis literis fiducialibus, vel (ut cum vulgo fabulemur) credentialibus tabellarii cujusdam aut internuncii personam gerant. *Judices sunt, arbitri, & negociatores gravissimorum consiliorum publicí; imò oculi, scipiones, aut fulcra principum Rerumq; publ. sine omni errore nominantur.* Ab his juniores discent, quid ex usu Reipubl. fiet, nec aptius viros bonos ad gubernationem erudiendi medium vel ipsa Minerva explicuerit. Romanos certè tantâ copiâ Politices peritorum ideò solum abundâsse existimo, quod Legatorum ac Magistratuum perpetuis

suis profectionibus juvenum lectissimi semper jungerentur.

XXX. Cui accedebat & illud, quod priscis præsertim temporibus, Senatorum filiis publicis consultationibus interesse licebat; ita enim discere poterant, quibus de rebus quâ ratione sit consultandum audiebant elegantes in utramq; partem disputantium orationes, sapientiam Oratorum notabant, & magno patriæ cum emolumento meditabantur. Id Veneti adhuc in suâ Rep. non sine fructu tuentur, apud quos omnibus Patriciis, modò annos viginti quinque habeant, senatus adeundi jus est, imò singulari interdum indultu etiam ante eam ætatem, nempe vigesimo anno, curiam inire possunt. Et cur non imitantur aliæ etiam particulares Resp. quæ semper Aristo-

Maturè adhibetur cō tation.

ſtocraticum aut popularem ſtatum repræſentant? intereſſet profectò maximi, ſi adoleſcentes, poſtquam in Academiis eruditionem ſuam probaverint, iſtud privilegii obtinerent, ut Senatui liceret intereſſe, aut in Conſilio Principis ſedere; ſententiam etiam nonnunquam dicere, non quidem ut conſultandi aut definiendi vim judicia eorum haberent, ſed ut diſcendo proficerent. Hoc inquam & juvenibus prodeſſet, & Reip. ipſi: *illis* ad inſtructionem, ut dixi, *huic* duplici nomine, *tum* quòd prudentioribus repleretur civibus, *tum* quòd in præſentiâ plurium obſervatorum minus liceret prævaricari iis, qui interdum ſui potius, quàm publici ſunt Studioſi.

Quanta hæc de utilitate in remp. redundet.

XXXI. Tales igitur, quales ha-

hactenus descripsimus, ordinandi sunt Magistratus, iisque non tantùm obedientiam subditi, sed honoris etiam & præmii justam refusionem debent; cum quòd per se laude digna sit gratitudinis virtus adeoque maximè deceat quemcunq; virum bonum, tum ut reperiantur, qui propriis rebus negle-ctis aliorum utilitatibus industriam suam velint impendere. Cùm enim depravatis hisce temporibus, qui imperium in alios obtinet, is demum verè, quod in veteri est proverbio, lupum auribus teneat, quem neq; commodè à se amoliri, neque semper retinere potest, quin utrinq; sibi â mordacibus ejus dentibus metuat, fit non raro, ut boni & moderati viri inprimisq; ad officia Magistratus sustinenda apti, provinciam

Quid subditi magistratibus debeant.

Multi fugiunt magistratus.

detrectent, & imperii curis destineri, etiamsi possint, nolint.

Qui cogendi sunt. Quos tamen pœnæ irrogatione ad gubernationis curam compellendos esse Plato existimat, dum *quemlibet ita sibi charum vivere debere dicit, ut publicam tamen salutem non videatur deseruisse.* Pœnam autem convenientissimã esse hanc censet, ut sub potestate minus bonorum esse jubeantur, cùm bonis & generosis naturis pœna quovis cruciatu sit acerbior τῶν πονηρότερον ἄρχεσθαι, ut ipse loquitur, i.e. *à deterioribus vivendi accipere legem.*

Divisio Magistratuum respectu circumstantiarum XXXII. De Divisione Magistratuum dicendum nunc esset, si instituti id permitteret ratio; sed fieri illud vix potest, cùm particularem quælibet eorum species requirere videatur disquisitionem: Dicimus tamen in genere cum Philosopho 4. Polit

lit. c. 15. multis modis dividi Magistratum posse, præcipuè tamen circumstantiarum habendam esse rationem. Ut ita 1. ratione *temporis* alii dicantur perpetui Magistratus, alii temporarii: 2. Respectu *loci* alii urbani, alii Suburbani, alii Municipales, alii Provinciales, &c. 3. Ratione *personarum* alii sint optimates, alii Nobiles & Divites, alii ex omnibus ordinibus mixti: 4. Respectu *Electionis* alii κληρωτοὶ qui sorte, alii αἱρετοὶ qui per suffragia eliguntur: 5. *Potestatis ipsius* respectu alii plenum imperium in omnes cives obtineant, alii in certos civium ordines limitatum quasi & circumscriptum. 6. Respectu *formarum Reip.* alii omnibus Rerumpubl. formis sint communes, alii certis tantùm peculiares ac proprii. 7. denique ratione *Necessitatis* alii

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.

alii sint prorsus Reip. necessarii, ita ut salva sine illis civitas diu esse nequeat, ut judiciorum præfecti, legum publicæque disciplinæ administratores, alii non omninò necessarii, sed ornatus tantùm gratiâ ordinati, qui ideò etiam honorarii vocari solent, quales sunt spectaculorum, Ludorum & similium rerum Præfecti, quibus licet parvæ civitates sæpe destituantur, magnæ tamen carere vix possunt.

Alia divisio tutior.

XXXIII. Omnium tutissima nobis videtur ea divisio, quæ à materiâ, circa quam versantur Magistratus, desumitur, etsi propriè & strictè accepto Magistratui non videatur exactè convenire. Alii namq; in hominum gubernatione, alii in opū publicarum administratione occupantur i. e. circa personas

alii,

alii, alii circa res versantur. Hi *Quæstores* uno nomine dicuntur, quòd quæstui Reip. curam impendant, illi vel omnium hominum gubernationi præsunt, & simpliciter Magistratus vocantur, quales Romæ *Consules* erant, vel cum iis tantùm conversantur, qui jure manus consertum veniunt, & hi quidem Judices sive, ut Romani olim loquebantur, *Prætores* dici possunt. Ut ita omnem Remp. *Consulari*, *Prætorio* & *Quæstorio* Magistratu perfici videamus, quorum iste rectè gubernare, ille accuratè jus dicere, hic denique opes Reip. integrè & purè tractare tenetur. Ceterum omnes illi Magistratus ab iis constitui in Republ. debent, penes quos summa est potestas, nempe in Monarchiâ à Rege, in Aristocratiâ ab Optimatibus, in Poli-

Quæstores.

Consules.

Prætores.

tiâ à populo: quâ de re pro dignitate disputare non esset dissertationes scribere, sed integra volumina condere.

Senatus necessitas.

XXXIV. Et quidem Consulari Magistratu, seu uno verbo Senatu carere nulla Resp. potest. *Dissipantur enim cogitationes*, ait Regum sapientissimus *Prov. 15, 22. ubi non est consilium, ubi verò sunt plures consiliarii, congregantur.* Et rectè Guevarra *in Horolog. princip. l. 1. Cap. 43.* commiseratione magnoperè dignos esse principes & Magnates dicit, qui multos in mense dies, multasque in die horas perdunt, sermocinantes de bellis, de ædificiis, de armis, de epulis, de bestiis, de venationib⁹, de medicina & aliis, ipsa autem prudentum consilia negligunt. *Rerum* enim *humanarum*, secundum Aristotelem, *augustissimum*, vel ut ipse ait,

ait, *θεόπαλον seu maximè divinum est consultatione uti*; qui etiam comperisse se ait omnia regna, civitates, nationes usq; eò prosperum habuisse imperium, dum apud eos vera consilia valuerint; contrà omnes eos periisse principes, omnia interiisse regna, ubi prudentum consilia neglecta fuerint. Et verò si in rebus privatis, cùm dubia oriuntur, amicos quisq; consulit, quantò magis in ipsâ Repub. id necessarium est, ubi & majora sunt negotia & intricatoria. *Quis enim sanæ mentis dubitârit*, ait denuò Aristoteles ad Alexandrum, *si quis inconsultò quid egerit, amentiæ quidem, sin autem ratione duce, sapientiæ signum esse.*

XXXV. Senatus ergo sit in omni Rep. sive Monarchica illa sit, sive Aristocratica, sive popularis, in quem legendi sunt, non *In omni republica.*

idonei tantùm, sed digni etiam honoribus tantis. Cicero *l. 3. de ll.* è Magistratibus vult esse Senatum i. e. iis vult officium illud demandari, qui aliquam Reip. partem jam gubernârint, ita tamen, ut non admittantur, qui malè Magistratum gesserint, adeoque haud obscurè innuit, non admittendum, ut vel Majestatis, vel repetundarum ambitusve rei, nisi *judicio absoluti fuerint, in ordine amplissimo* consideant. Quanta autem priscis temporibus virtus à Senatore vel Consiliario fuerit requisita, inde discimus, quòd indignos Senatu movebant i. e. nomina eorũ Albo eradebant. Idq; facilimè & nonnunquam levibus de caussis, sicuti in Lucio Antonino videmus, quem M. Valerius Maximus, & Cajus Junius Bubulcus Brutus Censo-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0426
DFG

sores Senatu moverunt, *quòd quam virginem in matrimonium duxerat, repudiâsset, nullo amicorum in consilium adhibito*, ut docet Valerius *l. 2. c. 9. num. 2.* ubi *optimo judicio Censores indignũ eum aditu curiæ existimâsse* addit, & alia nonnulla exempla refert. Nos præter accuratam rerum civilium cognitionem sequentia in Senatore desideramus.

XXXVI. 1. Ut ætate stabili jamq; ad Senectutem inclinante sit præditus, *Senatoris requisita.* 1.

Namq; ubi robustis adolevit viribus ætas,
Consilium quoq; majus & auctior est animi vis,

ait Lucretius *l. 3.* & prudentia sapientiaq; ante annos non venit, cùm ipse Themistocles moriturus jam anno centesimo septimo *dolere se* diceret, *quod tunc egrederetur vitam, cùm primum cœpis-*

pisset sapere. Non ergo admittendos existimamus juvenes, præsertim eos, quos cum barbâ etjam prudentia simul destituit,

A senibus nomen mite Senatus habet.

2. 2. Tenacissimum Secretorum esse volumus, quia plerumque irrita redduntur, quæ ante executionem enunciantur consilia, & species quædam proditionis est dispalare Reip. secreta. 3. Et hoc requirimus, ut opinionis suę non sit nimium tenax, sed lubens cum meliore sententiâ eam mutet. 4. Maximâ libertate animi præditus nulli vicinæ Reipubl. sit obnoxius, cujus quidem criminis suspicionem ita caveat, ut cum exteriorum legatis omne clandestinum fugiat consortium. 5. Præcipitationem vitet, & nunquam celeritatem, nisi in morâ sit

sit periculum, adhibeat. 6. Affectus omnes extra curiam sive Comitia relinquat, siquidem 6.

nubila mens est
victaq; frenis
hæc ubi regnant, ut ait rectissimè Boëthius. 7. Frequens sit in 7.
Senatu, neq;, quod hodiè passim fieri videmus, in causis odiosis diverticula quærat; rataque adeò Lex sit, quam Cicero *3. de ll.* sancivit: *Senatori, qui non aderit, aut causæ, aut culpæ esto.*

XXXVII. Plura de Senatore non addimus, sed instituti memores ad Prætorios Magistratus seu *Judices nos* conferimus, de quibus Aristoteles *4. Pol. c. 16.* adeundus, ubi octo judiciorum genera recenset. Nos justitiæ eos administratores esse diximus, idq; præcipuè in iis observandum putamus, quod in regula seu normâ ædificiorum *Prætores seu Judices.*

Quales esse debeant.

rum ſpectari ſolet, ut quàm rectiſsima atq; immobilis ſumatur; ita enim & judicem oportet eligere, qui nihil gratiæ det, nihil offenſæ, quiq; nec irâ, nec cupiditatibus facilè impellatur: perinde enim hoc foret, ac ſi quis regulam, ut muro obliquo quadret, incurvare vellet. Utrique parti vacivas ille aures præbeat, neque admittat, ut qui alterum pervenerit, fidem è veſtigio inveniat, aut de juſtitiâ triumphet, qui in anteverten-do Adverſario magis fuerit diligens & induſtrius. Non ſine cauſsâ antiqui juſtitiæ libram, quam Aſtræa præfert, duabus appenſis lancibus pinxêre; ſignificarunt videl. debere judices ſuſpenſum tenere judiciũ, neq; de cauſsæ juſtitiâ pronunciare, niſi prius utriuſq; partis rationes æquâ lance penſitâſſent.

sent. Paupercula quædam anus, cùm â rege, cujus imploraverat opem, repelleretur à tribunali, subclamâsse dicitur: *Ergo ne rex quidem esto*: Id rectius Judici occinetur, qui auditâ unâ parte alteri vacare noluerit. Videatur hîc omninò Horneius *lib 4. Eth. Cap. 4. de prudentiâ judiciariâ ac deliberatiuâ.*

XXXVIII. Quæstores denique constituendi in Rep. quibus non minus ea, quàm publicis reditibus aut ærario carere potest, cùm tâm Respubl. nequeat sine pecuniâ consistere, quàm homo sine nervis ambulare. Nullâ autem in re majori opus est cautione, quàm in hisce hominibus ordinandis, cùm nusquam facilior sit, etiam constantibus viris, lapsus. Unde Sapiens: *Beatus vir*, inquit, *qui inventus est sine macula, & post aurum.* *Quæstores.* *Cautè constituendi.*

rum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vitâ suâ. Meritò mirabilia facere dicit eum, qui hac in re rectè sese gesserit; in nullo enim officiorum genere plures admittuntur fraudes, etiamsi in nullo frequentiores infligi videamus pœnas. Ut ita vix possint præcepta sufficientia dari, quibus hominum malitiæ hîc obvietur. Duo tantùm hæc observanda esse suademus, 1. ut plures constituantur etiam unius loci Quæstores, ne furta facilè celari possint. 2. ut diligentissima quotannis, imò si fieri posset, singulis mensibus exigatur ratio. Reliqua de his addere hac quidem vice non permittitur, multo minus eorum munus explicare licet, quibus extra ordinem officia deferuntur, ut

Notanda duo.

1.

2.

sunt

sunt Legati, Curatores, Tutores & alii. Hæc in genere de Magistratu dicta sufficiant, quæ quidem satis demonstrarunt, quantâ cautione illi in Rep. sint constituendi. *Magistratus ostendit virum*; est in veteri proverbio; ostendit, inquam, quia prius satis notus non erat. Honores enim, nisi optimè quis & exquisitissimè sit institutus, mores ipsos mutant, & sæpe ex optimis pessimos reddunt. Non absurdè igitur nescio quis:

Sæpe rogare soles, qualis sim, Prisce, futurus,
Si fiam locuples, simq; repente potens.
Mores posse putas quenquam narrare futuros?
Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

DIS-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0433
DFG

DISSERTATIO IIX.

De

POTENTIA REIPUBLICÆ.

Respondente

JOHAN-CHRISTOPHORO PÜEHLER VVeidenâ Palat.

Aphor. I.

Felicitas civium semper spectanda.

QUæ hactenus à nobis sunt explicata, ea omnia eò spectant, ut felices reddantur, quotquot in Republ. vivunt; felices autem esse non possunt, nisi virtuti studeant, omnesq; actiones suas secundum illius præscriptum conforment. *Tantum enim felicitatis*, ait Aristoteles *l. 7. Polit. c. 1. ad unumquemq; redire certum sit nobis,*

Ea virtute paratur.

quan-

quantum virtutis & Sapientiæ & vitæ inhis actæ. Et sub initium capitis ejusdem idem probans, *Quis*, inquit, *beatum dixerit, qui nullam fortitudinis, aut temperantiæ, aut justitiæ, aut deniq; prudentiæ sit consecutus partem?* h.e. qui e.gr. vel tam sit timidus, ut muscam horreat prætervolantem, vel qui tam intemperans, ut cibi caussa ac potus, simul ac libido vitiosa fecerit auspicium, ut ille loquitur, ne à fœdissimis quidem abstinere sese possit voluptatibus: ita deniq; avarus, ut quadrantis caussa primos lædat amicorum aut interimat. Idq; non solum de morali, sed intellectuali etiam virtute intelligendum esse non tantùm exsertis verbis istic indicatur, sed ex sequentibus etiam facilè concluditur, ubi dicitur eodem modo, neminem fore tâm stolidum, ut eum

Tàm morali.

Quàm intellectuali.

eum esse beatum dicat, qui ita demens sit ac errorum plenus, ut à puero differre nihil aut insano videatur. Ἀδύνατον δὲ καλῶς πράττειν τοῖς μὴ τὰ καλὰ πράττουσιν, fieri autem non potest, ut rectè agant, qui recta non agunt.

II. Huc, inquam, tendit, quicquid hactenus de institutione, de Legibus, de Magistratu, de Religione ceterisq; virtutibus tàm morum, quàm rationis attulimus, cùm uno ore omnes fateantur, docente Philosopho *Cap. 2. libri citati*, totius civitatis felicitatem pendere ex singulorum civium felicitate, & vice versa; ita ut eadem sit totius civitatis & singulorum civium beatitudo. Id quod in Ethicis etiam *lib. 1 Cap. 2.* demonstraverat, ubi eandem non numero quidem, sed specie esse dixerat, quæ homines singulos pri-

Eadem est totius civitatis quæ singulorum civium salus.

Non numero quidem sed specie.

privatim, quæq; universam civitatem publicè perficit beatitudinem, ita tamen, ut civitatis illa splendidior sit, quia latius sese extendit quàm civium singulorum. E quibus omnibus illud etiam colligitur, non posse Remp. felicem esse sine externis bonis, perinde atq; singuli homines nisi bonis externis saltem mediocriter sint instructi, veram felicitatem possidere non dicuntur. Posterius à Philosopho discimus *l. 1. Eth. c. 2.* ubi sicut summum hominis cujusq; bonum non quidem consistere dicit in bonis externis aut fortunæ, sed in solâ virtute, ita carere tamen iis non posse eum, qui exercere virtutem i. e. felicem agere debeat, innuit; elegantissimè demonstrans, quòd longè aliud sit summum bonũ non posse esse sine bonis fortunæ,

Sine externis bonis perfecta non est beatitudo.

Nec tamen bona externa felices reddunt.

næ, aliud summum bonum ipsa illa fortunæ bona esse: *Sicut enim, verba sunt Philosophi, unum & idem non sunt illa, sine quibus nemo sanus esse potest, & ipsum illud esse sanum, ita nec idem sunt benè vivere, & ea sine quibus benè vivere non licet.*

III. Prius ab eodem docemur *l. 7. Polit. C. 1.* in fine, ubi totarum civitatum ac Rerump. vitam eam esse optimam ait, quam simul cum virtute cetera externa quoq; sequuntur, easq; eatenus vel muniunt, vel instruunt, ut virtutis rectè ac commodè obire actiones queant. Tantùm in eo errari dicit ibidem, quòd plerique virtutis quidem quantulumcunque habere satis esse putent; divitiarum verò & pecuniæ & opum & gloriæ, omniumque ejus generis infinitam magnitudinem quærant. Quocirca non abs re fore exi-

Error communis unde?

sti-

ſtimavimus, ſi hac etiam de re nonnihil verborum faceremus, breviter indicantes, & quæ ſint illa externa, quibus Reſp. carere nequit, & quomodo ea parari debeant. *Prius* quidem facilè præſtare poteſt, quicunque vel mediocriter in Philoſophicis eſt verſatus diſciplinis; nempe uno nomine *Potentiæ* omnia iſta contineri, *hanc* autem nihil *eſſe* aliud, quàm *ad ſua conſervanda & alterius obtinenda idoneorum rerum facultatem*: *Poſterius* an â nobis poſsit doceri, dubitabunt ſine controverſiâ illi, qui proprium eſſe Philoſophorũ putant, mendicare, quiq; cùm mentes per lutum tractas poſsideant, ideò ſpernere ſapientiæ ſtudia ſolent, *quod*, ut belli iſti homunciones loquuntur, *non ſint de pane lucrando*. Occinent igitur abſq; dubio nobis vulgatum illud:

Externa Reip bona.

Potentia quid ſit?

Philoſophi poſſunt diteſcere ſi volunt.

Medice cura teipsum : sed nos illud iis reponimus, quod habet Aristoteles 1. *Polit. C. 7.* ῥάδιόν ἐστι πλουτεῖν τοῖς φιλοσόφοις ἂν βούλονται, ἀλλ' οὐ τοῦτ' ἔστι περὶ ὃ σπουδάζουσι, i. e. *facile est Philosophis ditescere, si velint; sed hoc non est, in quo eorum est studium.*

Potentiæ studere principes debent.

IV. Potentiâ ergo Respubl. omnis unà cum virtutibus prædita esse debet, adeoq; Principis omniumq; eorum, qui summam ejus tuentur, hoc est officium, ut illam vel acquirant, vel acquisitam augeant aut sartam tectam saltim conservent.

Probatur exemplis.

Atque hoc egerunt summo studio prudentissimi quiq; reges & Principes non gentiles tantùm, sed sancti etiam David, Salomon, Josaphat & alii, quorum tanta fuit potentia, ut nisi Scriptura diceret, prorsus videretur incredibilis.

Davidis.

De Davide enim constat *è 1. Paral. Cap. 26.* eum per sin-

singulos menses præsidium aulæ regiæ, præter ordinarios satellites ac ministros aluisse viginti quatuor millia armatorũ, qui quidem per vices fuerint in aulam admissi substitutis singulis mensibus aliis atque aliis; quorum numerum si inire velimus, provenient ducenta & octuaginta octo millia virorum, quos tamen sine tyrannide Rex sustentans non solum tributis non exhausit subditos, sed omnium rerum abundantiâ etiam replevit. Divitias ejus ostendunt, quæ ad filium Salomonem verba facit 1. *Paralip. 22. v. 14. Ecce*, inquit, *in paupertate mea præparavi impensas domus Domini auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: aris verò & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine*, & cetera, quæ omnia sine stupore nemo legit.

Salomonis. V. Imitatus est parentem filius, de quo 2. *Paralip. C. 9.* dicitur, quòd fuerit ditior universis Regibus, tantamq; præbuerit copiam argenti in Jerusalem, quasi lapidum *v. 27.* imò *v. 20.* hæc habentur verba: *Omnia vasa convivii regis erant aurea, & vasa domus saltus Libani ex auro purissimo: argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur.* *Josaphati.* Josaphatum verò præ ceteris miramur, de quo *Lib. 2. Paral. C. 17.* legimus, eum, etsi exiguo regno præerat, nempe tribuum duarum Juda & Benjamin princeps, aluisse tamen undecies centena, & sexaginta millia militum, exceptis præsidiariis, ita enim Scriptura: *Hi omnes,* inquit, *erant ad manum regis, exceptis aliis, quos posuerat in urbibus muratis in universo Juda.* Non audiendos ergo putamus, qui studium acquirendæ potentiæ

in

in Principe damnant, qui solâ virtute niti eos debere dicunt, externis utendum negant; speciosâ quidem illi sed fallace oratione utuntur, cui omnia hactenus experimenta repugnârunt. Habentes ergo potentiam non peccant, sed nimium ei fidentes, malè eam quærentes. Donum DEI ea est, non tantùm non spernendum, si haberi possit, sed summis etiam precibus à DEO Opt. Max. contendendũ, qui & ipse prædictis Regibus peculiari quodam favore illud indulsit, quòd eo non abusuros sciret.

Potentia Donum Dei.

VI. Caveatur tantùm, ut dixi, nimia in externis hisce confidentia, & sedulò semper cogitetur, omnem potentiam humanam etiam maximam, si cum DEI potentiâ conferatur, impotentiam sumam esse, quâ

Nec tamen in ea confidendum.

Quia mutabilis & inconstans.

nihil inconstantius, nihil fluxum magis ac mutabile, si soli ei fidas. Norunt hoc, quos paulo ante mirabamur, Reges sancti David & Salomon, quorum ille beatitudinem nunquam aut spem suam in potentiâ, sed in Domino collocavit, ut passim in Psalmis videmus; hic autem maximam vocavit vanitatem etiam summam potentiam, & quicquid in Mundo est, divitiarum. Cùm enim enumerâsset omnia sua bona, palatia regia, hortos, piscinas, vineas, ministros multos, armenta, oves, aurum, argentum, gemmas, equos, arma, delitias regias & alia propè infinita, vanitates enumerâsse se fatetur, & quidem, ut ipse loquitur, vanitatum vanitates. Imprudenter itaq; agit sive Rex sive Princeps, qui ejusmodi rebus nimium confidit, im-

impiè autem facit, quando ad eas comparandas subditos suos intolerabilibus exactionibus spoliat, atque ita fragilem structuram fragiliori fundamento, injuriæ nimirum, superstruit. Justa namq; comparandæ potentiæ ineunda ratio est, dandaque opera, ne cum injustè quæsitis opibus maledictionem in arcas, in regiam, in imperium intromittamus.

Fundamentum potentiæ Virtus.

VII. Pietatem sive Virtutem potentiæ fundamentum bonus princeps statuat, & facilè ab illius firmitudine constantiam quandam sibi acquiret res alioquin inconstantissima, poteritque firmare regnum, quod isthoc fulcimento destituta subvertet. *Quid de dignitatibus potentiaq; differam*, ait Philosophia apud Boethium *lib. 2. quas vos veræ dignitatis ac potestatis insciì cœlo ex-*

Quâ destituta, nulla est.

æquatis? Quæ sin improbissimũ quemque ceciderint, quæ incendia flammis Ætnæ eructantibus, quod diluvium tantas strages dederit? Et paulo post: *At si quando*, inquit, *probis ista deferantur, quid in iis aliud, quàm probitas utentium placet? Ita fit, ut non virtutibus ex dignitate, sed ex virtute dignitatibus honor accedat.* Quibus omnibus accuratius ibi explicatis tandem in metro concludit:

Celsa num tandem valuit potestas
Vertere insani rabiem Neronis?
Heu gravem sortem quoties iniquus
Additur sævo gladius veneno!

Experientia testis. Hoc observare Principes oportet, si cum fructu potentiæ studere velint: nî fecerint, experientur vindictam divinam, quã lento quidem gradu incedentem, sed tarditatem suam gravitate pensantem experti olim sunt potentissimi quique, Zo-

ro-

roaster, Ninus, Cyrus, Xerxes, Darius, Alexander, Antiochus, & alii, de quibus historia est consulenda.

VIII. Solet 1. distingui Potentia in *Internam* & *Externam*, quarum illa contra internas Reip. corruptiones, seditiones nimirum aut conspirationes usurpatur, hæc contra exteros eorumque vim propulsandam profligandamq; facit. Utraq; & necessaria est & comparatu difficilis, magis tamen illa; tum quòd regnum in se divisum destruatur facilius, & domus supra domum cadat, ut Salvator noster in Evangelio loquitur, tum quòd plures semper inventi fuerint, qui hostem vincere, quàm qui civem regere potuerunt. Fundamenta autem internæ illius potentiæ, sive cura quasi duo sunt: *Amor* nempe

Potentia quotuplex?

Interna: cujus fundamenta Amor & Timor.

Subditorum erga imperantes & *Timor*. Sicut enim nulla est præclarior possessio, nullus thesaurus precioſior, quàm amicus prudens & fidelis, teste Herodoto *lib. 7.* ita nulla unquam efficacior fuit pestis ad nocendum, quàm familiaris inimicus. Unde non immeritò quotidiè Antigonus oravit, ut adversus amicos (fucatos scil. illos) Dii se tuerentur, ab *illis* enim qui palam hostes erant, mediocri diligentiâ sibiipsi cavere se posse dicebat. Amorem itaq; subditorum princeps sibi acquirat, qui nisi adsit, nemo officium faciet, omnes in periculo constitutum deserent. Si quæras quâ ratione comparari

Amor quemodo paretur?

possit? *Ecce monstrabo tibi amatorium sine medicamento*, ait Seneca, *sine herbâ, sine ullius venefica carmine, sine præstigiis & fuco: ut ameris, ama.* IX. Ni-

IX. Nihil tam impressum est humanis affectibus, quàm diligere se diligentes: Ut enim ignis non melius accenditur, quàm igne, sic amor non melius generatur, quàm amore. Sed ut dixi, præter amorem etiam requiritur timor, non servilis quidem, sed filialis, qui & ipse ex amore proficiscitur, quoq; sublato amor solet in nimiam degenerare familiaritatem, è quâ postea pessimus nascitur filius Contemtus. Itaq; *autoritati suæ studeat princeps*, & quidem ita, ut dignus habeatur, qui non ametur tantùm, sed etiam timeatur, quod nullâ aliâ ratione facilius quàm Virtutis studio obtinebit. Habet enim nescio quid divinitatis Virtus, ut ametur etiam in hoste, timeatur etiam in amico. *Nullo infestari nocumento potest*, ait

Timor est autoritate oritur.

Cebes *in tabulâ, qui virtutis munimento se obvallavit consepsitq;*. Contrà si in animis obtemperantium non sit veneratio quædã Majestatis, quâ dignum esse principem existiment, cui obtemperetur, jam maximum vulnus Reip. inflictum est, cui consolidando magna sæpe prudentia vix sufficit. Aderunt enim statim, qui regnum eversum eant, sive id fiat vi publicâ, sive clandestinis machinis conjurationibusque, neq; unquam salvum cupient, quem indignũ putant, cui pareatur, de quo omnes tabernæ personant: *Num salvos facere nos poterit iste?* Multo minus pericula pro eo subibunt, cui seipsos præferunt.

X. Hac itaq; de causâ non tantùm ex opibus constitui potentiam putamus, de quibus paulo post dicetur, sed præcipuam

puam ejus partem facimus *Autoritatem*, quam vulgus hodie *bonam reputationem* vocare consuevit. Hæc quidem contemtui opponitur, atque id præstat, ut qui eâ præditus est Princeps subditos suos potestate paternâ, alienos famâ & existimatione habeat addictos. Quantam autem vim in fulciendis obtineat imperiis, in Salomone videmus, qui etiam degener factus regnũ obtinuit, quod semel sapientiæ atque virtutis opinionem sibi parâsset, adeoq; hoc esset consecutus, ut fama publica vocu- las privatorum obtunderet. Interim non est constans eorum fama atq; autoritas, qui boni videntur, nisi revera etiam tales existant. Unde ut antea dixi, præcipua hæc esse principi cura debet, virtutem ex animo ut colat, neq; famam ambiat, nisi ex

Autoritatis quanta vis in rep.?

Quando constans maneat & quomodo?

ex virtute ea oriatur & patriæ sit salutaris. Igitur talem vitam agat, qualem famam desiderat, præsertim cùm in conspectu omnium sint ejus actiones constitutæ, adeoq; difficillimum sit alium videri, alium esse. In privatis interdum usu venire hoc potest, in Principe vix unquam continget, hic enim etiamsi paucos aliquando, nunquam tamen multos nedum omnes fallet. *Gloriam, honorem & imperium bonus & ignavus æquè sibi expetunt*, ait Salustius, *ille verâ viâ, hic, quoniam bonæ artes desunt, dolis ac fallaciis contendit.* Uno verbo, si benè vis audire, discito benè loqui, & cùm benè loqui didiceris, rectè facere conator. Hoc enim modo bonam famam acquires.

Falleris, esse aliquid si cupis, esq; nihil.

XI. Sed

XI. Sed generale hoc est præceptum, & quod æquè ad quemvis privatum spectat atq; principem. Alia suppeditanda sunt huic magis propria, sed breviter. Primò omnium INCONSTANTIAM fugiat in dictis scriptisq; suis: quæcunque judicia tulit, quascunque leges sancivit, haud facilè retractet, ne nimia mutabilitas mentis inopiam aut prudentiæ defectum arguere videatur. In Publico quoties vivit, gravitati maximopere studeat, seria loquatur, nugas jocosq; neq; ipse proferat, neq; ab aliis prolatos risu, præsertim immodico, prosequatur, aut si proferre jocos & ipse velit, acuti illi sint & peculiaris alicujus sapientiæ indices: frustra enim revocatur sermo imprudens, qui semel malè custoditus extra septum evo-

Præcepta specialia parandæ autoritatis.

1.

2.

3. evolaverit dentium. In Senatu omniq; privato consilio aut rarò loquatur, aut præmeditatè, ita tamen ut ad stuporem superbiamvé inclinare non videatur; quod iis evenire solet, qui adeò mutos sese simulant, ut ministris nihil nisi nutu vel ma-
4. nibus significent. Familiares sive intimos (ut vocare solem⁹) paucos habeat, eosq; optimos, quales esse illos solum̃odo existimo, in quibus & Dei timor, & veritatis amor, & animi magnitudo, & avaritiæ denique odium reperiuntur.

XII. Cetera lubens transeo, ut quod cavere debeat, ne ab uno alterové prorsus regi videatur, quod in legationibus recipiendis splendidam observare modestiam oporteat, & alia infinita, quæ & subditorum veneratione m, & exterorum pro-

crea-

creare timorem possunt. De reliquis potentiæ partibus dicendum nunc est, & quomodo illæ comparentur, indicandum. Eas Politicorum nonnulli in *Opibus, Armis, Viris, Arcibus & Urbibus*, constituunt, nos breviter in *auro & ferro* consistere arbitramur cum eo, qui apud Zonaram Aureliano Magnates, quo pacto imperandum esset, interroganti respondit: *Si rempubl. ritè administrare volueris, auro & ferro munitum te esse oportebit: ac ferro quidem contra hostes uti: tui verò observantes auro remunerare.* De posteriore peculiari dissertatione copiosius agemus; nunc prius illud pensiculatius aliquantò considerabimus, Aurum nempe sive pecuniam, quam qui rerum gerendarum nervum esse dixit, & eleganter satis & verissimè est locutus. Et quamvis ami-

Reliquæ potentiæ partes.

Aurum & Ferrum.

Pecunia nervus rerum.

amicorum gratia tantum prædicto Aureliani Consiliario requiri pecunia videatur, hostium tamen ipsorum caussa itidem adesse debet, quorum sæpe castra imò rutilantes ære phalanges globis aureis sunt devictæ:

ἀργυρέοις λόγχῃσι μάχῃ, καὶ πάντα κρατύνεις,

ait ille, qui omnia victurum putat, si quis argenteis hastis pugnaverit.

XIII. Et profectò ita sese res habet: quem penes est numus, ille etiam in hostilibus castris consiliisque habebit amicos, adeoque sæpe pecuniâ emere victoriam poterit, quam aliquot legionum profuso sanguine vix consequeretur. Parcendum est sanguini, si largitionibus depugnare datur: exercitus integer servandus, si asino numis onusto arcem licet expugnare. Virtus

tus etenim aurata potentissima est, imò auro sæpe patuerunt, quę virtuti sibi relictę perpetuò manssissent clausa. Multorum sanè, quod proh dolor experientia plus nimio comprobat, honesti calores & generosi affectus gravissimo egestatis onere deprimuntur, qui sine dubio ad laudem gloriamq; ascendere potuissent, si res paulo lautior suppeteret; tantum abest, ut vir humilis & in re tenui repræsentare personam magni principis aut reipubl. queat. At contrà, ut Poëta ait:

Virtus aurata fortior.

Virtus, fama, decus, divina humanáq; pulcris
Divitiis parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens etiam & Rex,
Et quicquid volet.

XIV. Hæc etsi in Satyrâ à Poëta

Divitiæ cautè acquirendæ.

Poëta dicantur, vera tamen sunt & revera attribui divitiis possunt: in quibus acquirendis tantò diligentior adhibenda est cautio, non â principe tantùm, sed quovis etiam privato, quanto facilior est lapsus. Spinæ sunt, si cum injuriâ acquirantur, meræ autem rosæ, si cum justitiâ obveniant. *Divitiæ per se non sunt noxiæ*, ait Timotheus Episcopus *in Oratione ad Ecclesiam Catholicam, Sed mentes malè utentiũ criminosæ.* Et magis Philosophicè Plato *divitias cæcas esse* dixit, *sine prudentiâ, at acutum cernere, quando prudentiam sequuntur.* Sequuntur autem maximè prudentiam, si & justè acquiruntur, & eum in usum conferuntur, in quem conferri reip. toti expedit. Acquiruntur justè, si non rapiuntur violenter, aut à subditis nimiâ crudelitate extorquentur; le-

Per se non sunt noxiæ.

Justè quæri debent.

legitimum in usum conferuntur, si liberaliter expenduntur in eos, quorum studiis laboribusq; Resp. conservatur, stabilitur, augetur. Nihil enim est injustius, quàm generosam hominum prudentium voluntatem & diligentem communi commodo impensam operam non tantùm non rèmunerare, sed etiam paupertate quasi punire. Sed de acquirendis opibus in progressu differemus. *Legitimè etiam expendi.*

XV. Antequam autem de tributis vectigalibusq; exigendis dicamus, præ ceteris illud requirimus in Principe seu quovis reip. alicujus moderatore, ut rei Oeconomicæ sit studiosus, illudque sibi certissimè persuadeat, non minoris esse virtutis, tueri bona acquisita, quàm parare. Neq; audiendos putamus, qui Oeconomiam con- *Oeconomica principi commendata.*

Non est contra ejus dignitatem.

contra dignitatē Regis aut Principum esse noxiâ credulitate sibi persuadent, indignum esse dictitantes, parvis rebus adesse Jovem. Nihil aliud illi quærunt, quàm aut Principem cœcum faciant, ne videat, quàm nefariè collecta tributa in suos convertant usus ipsis etiam felibus homines furaciores, ut ita titulotenus tantùm ille sit princeps, exteris risui, subditis oneri, ministris quæstui, fiatq; furum purpuratorum præda. Unde præter alia incommoda & illud proficiscitur, ut princeps ad incitas redigatur, aulici verò ditescant, palatia sibi struant, nummos in fœnus collocent, ipsoque etiam illo potentiores sæpe evadant, imò, quod omnium periculosissimum esse judico, ut princeps inscius hostes suos ditet, seipsum verò spoliet,

Fucus eorum detegitur, qui contrarium suadent.

liet. Ideò enim omnia colligendi vocabula ſuggerunt, centeſimas, quinquageſimas, quadrageſimas, decumas, quintas, omnes modos acquirendi tradunt, & tamen cùm tot curis omnia collecta fuerint, attendere Principem vetant, Oeconomicis ſe ſuiq; ſimiles præfici ſive jubent, ſive ſuadent.

XVI. Ipſe igitur Princeps interdum rationes ſubducat, & illud quod caput eſt omnis Oeconomiæ, & bonæ adminiſtrationis domeſticæ, obſervet, ne plus impendatur, quàm accipitur, utq; interdum ex induſtriâ aliquid reponat, quod ad incertos temporum caſus reſumatur. Ne propter nimiam prodigalitatem ſubditorum incurrat odium cum Caligula, qui Imperator Romanorum factus adeò nihil neglexit eorum,

Parſimonia laudatur.

Prodigalitas Caligulæ.

quibus pecunia prodigi solet, ut cùm inveniſſet aureorum ducenties tricies centena millia, ea tamen ante annum tertium omnino dilapidaverit. Conſtituit ea ſumma, ſi quis rectè ſupputare velit, ſexaginta ſex milliones noſtrorum aureorum, quibus Romani duplo majores erant, & tamen in fumos redacta eſt etiam illo tempore, quo plus poterat uno aureo emi, quàm nunc decem vel pluribus, quippe cùm boves etjam integri uno aureo ſinguli venirent. Nimirum in dolium pertuſum improbo labore aquas conjicit, & Danaidũ apud inferos exercet operã, qui magnum vectigal negligit parſimoniam, & immodicos ſumtus rebus non neceſſariis, non rarò etiam perniciosis, impendit, denique magnum numerum eorum

rum in aulâ sustentat, quibus sine detrimento Reipubl. carere posset. *Malus Princeps est*, dicebat Alexander Severus, *qui ex visceribus provincialium homines non necessarios nec utiles Reip. alit.*

XVII. Rectè olim Antoninus Pius, ut Julius Capitolinus refert, salaria multis subtraxit, quos otiosos videbat accipere, dicens, *nihil esse sordidius, imò crudelius, quàm si Rempubl. arroderent, qui nihil in eam suo labore conferrent.* Unde etiam Mesomedi Lyrico salarium imminuit: rationes omnium provincialium apprimè scivit & vectigalium. Patrimonium privatum in filiâ contulit: sed fructus Reipubl. donavit. Species imperatorias superfluas & prædia vendidit: & in suis propriis fundis vixit variè ac pro temporibus: nec ullas expeditiones obiit, nisi

Parsimonia Antonini Pii.

quòd ad agros suos profectus est in Campaniam, dicens, *gravem esse provincialibus comitatum principis etiam nimis parci.* Imitatus est antecessorem, quem jam laudavimus Alexander Severus, de quo Lampridius refert, omnes gemmas eum vendidisse & aurum in Ærarium contulisse, quod gemmas viris usui non esse diceret. *Unde*, ut dictus autor loquitur, *prorsus censuram suis temporibus de propriis moribus gessit. Imitati sunt eum magni viri, & uxorem ejus prænobiles matronæ.* Atque utinam hodiè multi imitarentur eosdem & modum ponerent luxui, atq; inutile pecus ac noxium, quisquilias istas hominum ad fruges consumere natas, ex aulis removerent prorsus, vel ad numerum saltem moderatum redigerent! Rectius fortè viveretur in Rep. & re-

Inutilia terræ pondera ex aulis ejicienda.

reipsa patefieret, *melius esse decorum habere aulam, quàm populosam.*

XVIII. Hac fini Aristoteles *l. 1. Polit. Cap. 5.* egregiam instituit non de acquirendis tantùm, sed etiam utendis possessionibus disquisitionem. Et *Cap. 7.* circa divitias duo esse considerandà dicit, Theoriam videl. & praxin, quarum illa acquirere, hæc verò acquisitis rectè uti docet, & in fine expressè addit hæc verba: *Hac profectò cuncta scire etiam Politicum oportet, ne tantum in familiâ hæbere locum quis existimet. Manifesta enim hinc utilitas: cum plerumq; civitates non minus quàm familiæ his acquirendi rationibus & quæstu indigeant. Adeo ut quidam, qui ad clavum civitatis sedent, in hac unicâ civilis curæ parte occupentur.* Nos in pauca contrahemus, quæ ibi Philosophus exponit uberius, eum solummodo in finem, ut inde discat

Divitiarum Theoria & Praxis.

Politico cognita esse debet.

scamus, quos acquirendi modos admittere in Rep. quosvé rejicere debeat, cui potestas in eam & directio sunt commissæ. Tres enim eos facit loc. cit. *Naturalem, Artificialem,* & ex utroque *Mixtum. Naturalis* ista rerum acquisitio etiam necessaria appellatur & circa victum præcipuè versatur, quem naturæ necessitas flagitat, cùm nemo absque victu agat, nemo ullam *instituat vivendi rationem.* Unde etiam naturæ providentiã imitatur, quæ non tantùm homini, sed ceteris quoq; animalibus partim cùm nascuntur primo, partim cùm perfecta sunt, de victu naturali mirâ ratione, tanquam mater prospicit, ut elegantissimè cit. loc. Philosophus demonstrat: ubi apparere etiam manifestissimè ait, *naturam non nutricem minus providam, quàm bonam matrem, esse.* XIX.

Ut & triplex acquirendi modus. Naturalis.

XIX. Illa verò *Artificialis* etsi suâ etiam utilitate eâq; insigni non careat, vocatur tamen ab autore nostro non necessaria, cùm hominum industriæ & studiis sui inventionem debeat, non naturæ ipsi, quæ paucis est contenta iisq; talibus, quæ fortuna etiam irata debet, ut ait Seneca, cujus hac de re elegantissima est & illa sententia, *si ad naturam nos componeremus, non minus supervacaneum nobis coquũ quàm militem fore.* *Artificialis.*

Mixta deniq; ab utrisq; præcedentibus participare aliquid dicitur, quippe quâ partim ex rebus naturalibus, partim verò arte factis divitiæ comparantur, ut cùm ex lapidibus, lignis, metallis, aliisq; à naturâ suppeditatis materiebus varia instrumenta domestica, rustica, bellica, fabrilia, vasa item & id genus alia conficiuntur *Mixtus.*

tur ab artificibus ac venduntur, quorum tantus est in omni tàm civili quàm domestica societate usus, ut nemo mortalium sine illis non dico quidem vivere simpliciter, sed commodè saltem vivere possit. Sed de singulis aliquantò accuratius videbimus, etsi breviter & quantum instituti nostri ratio admittit, primóque omnium de *naturali*, quam rursum distingui posse in *Simplicem* & *Mixtam* ab Aristotele discimus, & per se etiam cuivis est manifestum.

Naturalis acquirendi ratio dispiex.

XX. *Simplex* est eorum, qui vel solam *agriculturam* exercent & ex terrâ ejusque fructibus victum sibi atq; amictum quærit ant, vel *Pastoritiæ* operam dantes ex animalium mansuetorum propagatione vivunt, vel *prædatoriæ* dediti Polemicam exercent & ex hostium spoliis vivunt,

Simplex: cujus species 4.

vunt, vel deniq; ferarum bestiarum capturâ, quam *venationem* vocamus, necessaria vitæ subsidia sibi suisq; largiuntur: quorum postremum illud pro triplici bestiarum differentiâ tripliciter etiam vicissim distinguitur in *Venationem propriè dictam*, quâ animalia terrestria; *aucupium*, quo volatilia; & *piscationem*, quâ aquatilia investigamus, capimus, & nostrum convertimus in usum. Tot enim vitæ genera esse & natura docet, & experientia comprobat, etsi aliud eorum rursus per accidentalem quandam differentiam dici possit laboriosum, aliud labore carens, & illud quidem aut sine periculo, aut cum periculo sive honesto sive turpi conjunctum. Unde jam per se liquet, quid per naturalem acquisitionem mixtam intelliga- *Mixta.*

tur? nempe ea, quam illi exercent, qui simul diversis vitæ generibus non uni tantùm soli se dedunt. Illud fortè non injuriâ mirari quis posset, cur Aristoteles λησρικὴν seu prædatoriâ naturali rerum acquisitioni annumeret, cùm tamen ea violenta esse videatur adeoq; naturæ adversa? Sed breviter cum optimis interpretibus dicendũ est, loqui eum vel de manifestis hostibus, vel de hominibus barbaris capiendis aut impugnandis: ii enim cùm naturâ sint servi, jure merito capiuntur, &, quod ipsis maximoperè expedit, dominio aliorum submittuntur: quâ de re alibi fusius.

Quomodo prædatoria sit naturalis?

XXI. *Artificialis* porrò rerum Acquisitio etsi non sit naturalis, non tamen est contra naturam, cùm ei non repugnet, sed potius suppleat ejus defectum &

Artificialis rerum acquisitio. Non est contra naturam.

& tanquam miniſtra ei ſuccurrat, quemadmodum aliâs fieri in omnibus ſolet artificialibus, niſi fortè illegitimis rationibus ac modis, ut ſæpe fit, exerceantur. Ut ita oppoſitionem hîc deprehendamus non contrariam ſed contradictoriam, adeoq; ex eo, quòd hic acquirendi modus non naturalis dicatur, non magis liceat concludere, eum eſſe contra naturam ac lapidem cœcum dicere, quod non videat, vel puerum intemperantem, quod ſit non temperans. Qui error inſignis & prorſus non admittendus etiam à Metaphyſicorum puerulis refutari poteſt. Negari interim non debet, maximam eſſe inter hunc & illum differentiam, cùm & ipſa *formali ratione* & origine ſeu *cauſſâ efficiente*, & *objectu*, & *fine* deniq; diſtinguãtur. Ille namq;

Quomodo à naturali differat?

finitus est & certis limitibus circumscriptus ab ipsâ naturâ, quæ alimenta & victum ad supplendam indigentiam & necessitatem quærere jubet, *tantum* enim, ut ait Cicero, *cibi & potionis adhibendum est solummodo, ut vires naturæ reficiantur, non supprimantur.* Hic verò in infinitum extenditur, cùm ab hominum cupiditate profectus non tantùm necessaria, sed superflua etiam quærat, non tàm in usum quotidianum aut inevitabilem, quàm in voluptatem & luxum, ut ita de hoc præcipuè intelligendus sit Solonis ille, quem citat Aristoteles, versus:

Divitiarum homini non certa est fixave meta.

Ejus species numerantur.

XXII. Explicat egregiè Aristoteles *c. 6. & 7. lib. 1. Polit.* etiam hujus species, quas esse dicit ἐμπορίαν, τοκισμὸν, & μισθαρνίαν, quarum

rum aliæ aliis sunt longè honestiores & magis licitæ. Ἐμπορία seu *mercatura*, quâ vel per mercium commutationem, vel, pecuniarum interventu, per emtionem & venditionem res acquirimus, maximè licita est & honesta, atque in hac civili vitâ prorsus necessaria. *Cùm enim*, ut Aristoteles loquitur, *res singulæ ad naturam necessariæ non facilè huc illuc transportari possint, inventus est numerus tanquam medium seu instrumentum & licitæ & necessariæ permutationi*, qui ideò etiam ab eodem primum & ultimum in permutatione appellatur. Jam si æquo pretio res æstimentur, nihil est in rebus humanis mercaturâ utilius, sin modus excedatur & plus æquo justove exigatur, ut passim hodiè malitiâ mortalium contingit, desinit mercatura in cauponariam, quæ

Mercatura.

Cujus vitia Cauponaria.

quæ parum profectò à rapinâ & furtis differt, vel saltem sordida, turpis, & contra naturam est, ut Philosophus docet, tum quòd pecunias, quas medium esse permutationis diximus, finem faciat ejusdem & scopum, tum quòd in infinitum extendatur, quod fieri non debebat. Quanto autem cum Reipubl. omniumque bonorum incommodo conjuncta illa sit mercatorum sive exorbitatio, sive avaritia, sive licentia, notum etjam iis est, qui, ut Satyricus ait, nondum ære lavantur: nec tolli tamen ista labes potest, quamdiu superbia eorum & luxus non tollitur, quę nimium quam dici potest, hac tempestate augentur, ubi in res ludicras sæpe & inutiles tantum impendere videmus non mercatores dico, sed mercatorum famulos unâ die

Mercatorum luxus & superbia reip. nocent.

die vel horulâ, quantum alendę hominis pauperioris familiæ per integrum sufficeret annũ.

XXIII. Magistratus est hanc pestem tollere, & frenum injicere nimio avarorum luxui, qui non nisi pauperum & exterorum sanguine ac sudore alitur & pinguescit. Si enim torquati attalicisq; induti vestibus, & auro planè tecti incedunt, qui *cubito nares emungunt*, quibus imperii recessus gossypium aut lanam gestare vix concedunt, quid mirum est, annonæ incendium oriri rerumq; precia præter omnem augeri necessitatẽ? quid mirum, ut dicam quod sentio, tot audiri de mensâ surrectiones, vel (utendum enim est vocabulo hoc genus hominum proprio) tot bancas unis interdum nundinis rumpi? Sed hæc monuisse sufficiat, mutare enim

Iis frenum injiciendum.

Quia sibi ipsis etiam nocent.

enim eorum est, qui ad claves reip. sedent & cordibus suis inscriptam gerunt hanc legem: *ne quid Respublica capiat detrimenti.*

Species mercaturæ tres. Vera mercatura, ut diximus, & utilis est Reipubl. & necessaria, ejusque tres species denuo facit

1. *Nautica.* Philosophus: *Nauticam*, quâ per mare & fluvios hinc inde transvehuntur merces, terrestrem sive *vectoriam*, quâ per terram transportantur eædem; & denique; *institoriam*, quâ domi commercia minori cum periculo, plerumque etiam minori cum injuriâ exercentur.

2. *Vectoria.*

3. *Institoria.*

Usura, quid sit? XXIV. Τοκισμὸς i. e. Fœneratio sive usura est, quando ipsa pecunia pro pecunia datur aut accipitur, ita ut vel pro solâ permutatione lucrum exigatur, quod vocant Wechselgeldt / vel ad certum aliquod tempus pro fœnore pecunia elocetur, quod

Ger-

Germani appellant Verzinsen. Compendiosa sanè ad comportandas ingentes divitias via, sed periculosa & cum summo æternæ felicitatis detrimento non rarò conjuncta, si sacras spectemus literas; turpis autem & sordida, si Philosophorum audiamus rationes. Verbum DEI certè expressè usuras prohibet, non uno sed multis locis: *Exod. 22, 25. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecũ: non urgebis eum quasi exactor, nec usuram super eos pones.* Et *Lev. 25, 35. Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, tum suscipies eum quasi advenam & peregrinum & vivat tecum: ne accipias usuras ab eo, neq; amplius quàm dedisti. Deut. 23, 20. Fratri tuo absq; usurâ id quod indiget commodabis:* ubi promissio quoque additur benedictionis divinę in omnes, qui hoc præceptum observer-

Periculosa est.

Sacris literis prohibita.

servant, quam repetit etiam Propheta David *Psal. 15. Ubi in æternum non moveri posse dicit eum, qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Ne quis autem Testamenti Veteris hominibus ea dicta esse existimet, audi quid in Nova lege Servator dicat *Luc. 6, 35. Benefacite,* inquit, *& mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi.*

Quomodo defendi soleat?

XXV. Equidem non ignoro, quid responderi ad hæc loca soleat ab iis, qui usurariorum suscipiunt patrocinium, sed an efficiant, quod volunt, hactenus videre non potui. Distinguendam esse dicunt usuram licitam, & à legibus civilibus approbatam ab eâ, quæ â furto & rapinâ parum differt, ac in legibus iisdem palam prohibetur, cùm tamen adhuc in quæstione sit, an aliqua usura esse licita pos-

possit vel debeat, quod Scriptura in universum eam rejiciat. Certè æqualitatem tolli (quę justitię est fundamentum) si lucrum ex solâ mutuatione quæratur, notissimum est. Deinde etsi admittatur hęc distinctio, non tamen locum habebit, nisi in tali mutuo, ubi debitor efficacem caussam damni dat Creditori, tum enim petere aliquid & accipere supra sortem leges concedunt. Sed quotusquisque hanc limitationem observat? Ego ingenuè fateor imbecillitatem mentis meæ, quæ capere istas subtilitates non potest, quas scripturis sanctis avaritia hominum opposuit. Quin & Aristoteles sine omni distinctione Fœnerationem rejicit & ipsum nomen adversari naturę dicit. Τοκισμὸς enim sive τόκος ἀπὸ τῦ τίκτειν dicitur i. e. *à pariendo*.

Vix videtur posse defendi.

do, quòd hic acquirendi modus sit quasi partus quidam aut fœtus pecuniæ, quę tamen in hunc finem inventa non fuit, sed ideo tantùm, ut medium esset & instrumentum permutationis. Quæ porrò ibidem ille disputat de eâ quæstione: *An pecuniæ veras divitias possint constituere?* Cujus ille negantem defendit, ea lubens intacta relinquo. Etsi enim tam clara sint atque Sol ipse in meridie olim cùm sudũ est esse solet, nemo tamen arbitrari oculis intellectus ea potest, quem semel noctuam reddidit peccatorum omnium radix avaritia.

Pecuniæ veras divitias non afferunt.

XXVI. Quid quæso Aristoteles de eo acquirendi modo statuisset, si ipsi non fuisset incognitus, quem nostra ætate Æruscatores, vulgo Kipperi dicti introduxerunt, ab Harpyis & fu-

Æruscatores.

futibus nihil planè nisi nudo nomine distantes? Nam si quis unquam τίκτειν sive parere docuit nummos, illi profectò docuerunt, cùm ex uno Joachimico etiam decuplam susciperent prolem. Nonnullibi unus Vallensis enixus est viginti & amplius pullastros, sed prorsus dissimiles parenti. Unde non sine sale jocatus de hoc hominũ genere est nescio quis eruditus, qui excusandos eos esse putat, quòd naturam voluerint imitari, & pastoritiam vel agriculturam introducere in nummos, Sie hetten gemeynet / Müntzen vnd Viehzucht oder Ackerbaw were eins. Ipsa proh dolor experientia satis superq́; testata est, plus nocuisse horum improbitatem Germaniæ, quàm vel extrema unquam usuraria pravitas vel etiam furum dolus obfuit.

fuit. Sed præter opinionem excreſcit ſermo. Poſtrema ſpecies Artificialis acquiſitionis rerum eſt μισθαρνία ſeu *Mercenaria*, quando aliquis ſuos labores & operas alteri pro mercede locat. Quas variè viciſsim Philoſophus diſpeſcit: alias enim eſſe dicit operas *ſerviles*, quæ ſolo corporis robore & viribus præſtantur, alias *liberales* & artificioſas, ut pictorum, Statuariorum, Scriptorum, &c, alias *ſordidas*, quibus corpora laborantium fœdantur, alias deniq; *viliſſimas* & maximè ignobiles, ad quas balneatorum & id genus hominum ſtudia referuntur.

Mercenaria quid & quotuplex?

XXVII. Eſt & alia quædam adhuc quærendæ rei ratio, quæ commune habet aliquid &cum eâ, quæ præſcriptum à naturæ ratione quæſtum facit, & cum eâ, quæ in permutationibus con-

consistit. Hæc est, quæ ex terrâ quidem sua accipit, sed ex iis tantùm, quæ cùm fructum nullum ferant, cum utilitate tamen permutantur: quam exercent, qui aut ligna cædunt aut metalla fodiunt, ut docet Aristoteles *1. Polit. c. 7.* Ceterum hæc ita explicata, hoc loco in genere sufficiant, cum ipse etjam Philosophus fateatur, specialius agi de iis in Politicis quidem non posse. Nam ipse citato loco hæc verba subjungit: *Singula accuratè persequi iis forsitan sit utile, qui singula exercent: iis autem, qui scientiæ civili causâ ista discunt, satis erit ea obiter nunc esse dicta, ne molestiam lectori pariamus aut fastidium.* Nos Præceptorem sequemur, & in posterum paucis tantum demonstrabimus, quas præcipuè acquirendi rationes curare Princeps in Rep. & promo-

movere debeat, reliqua singulis speciebus propria iis committemus, qui jam ipsi Oeconomiæ præsunt in Republ. quibus hoc curæ esse debet, si quæ vel in historiis, vel sparsim alibi legantur documenta, quibus quidam vel in suum, vel in Reipubl. usum rem fecerunt, ea ut colligant. Multum enim labor iste ad curam rei faciendæ atq; industriam conferre poterit.

Agriculturæ præcipua habenda ratio.

XXVIII. Ex hisce omnibus jam apparet, bonum Reipubl. moderatorem præ reliquis omnibus curare & ornare *agriculturam* debere, tũ quòd omnium artium fundamentum ea sit & origo, tum quòd maximè naturalis & justa, ut è prædictis patuit. Id quod ne Turcis quidem, etsi barbaris, incognitum est, quorum Imperator ex horto vivit, quem in ejus palatio situm

Id quod barbari etiam observant.

tum ducenti juvenes à decimo quinto anno usq; ad vicesimum assiduè colunt. Locus elegans est apud Leonicenum *lib. 1. histor. Turc. Cap. 20.* quem subjungo: *Fructus qui ex horto isto colliguntur, ab Hortulanorum præfecto venduntur, pecunia ea Imperatori offertur, nec in alium usum adhibetur, quàm ut cibaria pro ipsius Imperatoris mensâ inde coëmantur. Lucrum enim è fructibus terræ acceptum honestum & divinum judicat Imperator, quippe qui non ex subditorum gravaminibus, sed ex divinâ benedictione colligatur, ideoq; vetat ex eâ pecuniâ, quæ ex vectigalibus, decimis & exactionibus conquiritur, cibaria pro suâ mensâ comparari.* Hæc autor ille de Turcâ, qui hac in parte multos Christianos superaret, si tantâ diligẽtiâ subditorum etiam agriculturam promoveret, quantâ suum hortum curat; sed noluit, absq; *Sed non ex omni parte.*

dubio in noſtram utilitatem, DEUS Politicam prudentiam tantæ crudelitati adjungere, ne viribus ſuis totum terrarum orbem occuparet.

XXIX. Chriſtiani Principes non tantùm ſuos agros rectè coli jubebunt, ſed ſubditorum etiam habebunt rationem præcipuam, ſequentes hac in parte Davidem, cujus rei ruſticæ curam 1. Par. Cap. 27. poſt opum atq; potentiæ enumerationem deſcriptam ſine admiratione ſummâ nemo leget. Certo igitur ſibi perſuadeant, agricolas defendere, eſſe potentiam ſuã augere: itaq; immunitates quaſdam iis interdum largiantur, & ab aulicorum, nobilium, rabularum, quorumcunq; denique aliorum injuriis tutos præſtent. Ni fecerint, ſterileſcent agri, neq; quâ par eſt diligentiâ, co-

Agricolas defendere eſt potentiam ſuam augere.

len-

lentur ab iis, qui pecoris instar cujusvis injuriis expositi cum isto Poëtæ rustico dicunt:

Non spes libertatis erat, nec cura peculi.

Certum enim est & calculo prudentum omnium compro-batum, non tantùm bellis ac tempestatibus, sed oneribus etjam nimiis sterilescere & agros & agricolas. Quis enim coleret agros, si nimia exigantur tributa, si greges ferarum impune eos depascantur, si miles amicus sed supplantator in suos usus per vim rapiat fructus, uno verbo, si alii metatur, quod alii fuit satum? Neq; verò id tantùm curandum est, ut veteres agros sine nimio onere Coloni curent, sed quod à Romanis factitatum legimus, novi etiam subinde quærendi sunt, & vepribus excisis, siccatis paludi-

Pressuris sterilescit ager.

Novi subinde quærendi agri.

bus, sylvis etiam nonnunquam resectis aratro proscindenda tellus, quæ suâ sterilitate dedecori est territoriis principum. Quantas opes quęso, quantamque potentiam acquiret sibi Resp. si ejusmodi loca vel coleret suo sumtu, vel privatis colenda pro decimis assignaret?

Possunt enim inveniri adhuc.

XXX. Equidem non dubito, quin optimæ etiam adhuc in Germaniâ nostrâ glebæ nonnunquam sterili tegantur crustâ, quæ vel curari, vel rescindi posset, si quis medicas afferre manus vellet. Omne solum fertile esse sola cultura ostendit, præsertim in nostrâ patriâ, quæ olim aspera cultu nec urbes nec panem habebat, ut â Cæsare, Tacito, Strabone, & aliis discimus. Seneca: *Germani*, inquit, *errant incertis sedibus: sunt apud eos perpetuæ hyemes, solum infœcundum, nulle*

nullæ ædes, venationibus vivunt. Ubicunq; nox fessos laboribus deprehendit, cubant sub frondibus, aut in speluncis foveisvé: non habent domos, sed casas foliis & culmis contectas. Et paulo post: *Gens nuda,* inquit, *& pellibus solum ferarum vestita, & propterea vilis despectaq; ab omnibus.* Quis non mentiri diceret eum, qui de Germaniâ hoc modo loqueretur? Sed vera tamen olim fuêre, quæ nunc falsa videntur; victui herba, vestitui pelles, cubili humus destinabatur. At nunc ea est illius conditio, ut in toto terrarum orbe cultiorem locum vix liceat reperire. Et natura tamen mutata non est, culturæ hoc debemus ut Majorum industriæ, quâ non tantùm summâ hodie cum admiratione delectamur, sed maximâ quoque fruimur cum suavitate. Imitare quisquis es, ô Princeps,

Sicut olim inventi sunt.

& vestigiis insiste priorum, ita opes firmabis, potentiam stabilies, regnum cultius reddes, & verum esse deprehendes, nihil hodie factu esse impossibile, quod olim vel fieri potuit, vel est factum.

Mercatura diligenter curanda.

XXXI. Eâdem diligentiâ *Mercaturam* quoque curabit in benè constitutâ Rep. Princeps, neq; audiet, qui vel probrosam eam, vel noxiam Reip. dicunt, quòd vitiorum magis sit stimulatrix, quàm virtutum effectrix.

Non est per se culpabilis.

Sunt enim, fateor, ut omnium rerum, quarum usus & abusus esse potest, sic etiam negotiationum quædam incommoda; sed hominum illa vitia sunt, non rerum ipsarum: Et quemadmodum sine equitibus benè geri bellum nequit, ita sine Mercatoribus non potest stare civitas, etsi inter utrosque fraudu-

dulenti reperiantur & avari. At lucri, inquis, cupiditate comercia exercentur, quâ Virum bonum implicari & turpe est & periculosum. Fateor equidem & illud, si injustum sit lucrum, quod damnum potius antiqui Sapientes, quàm lucrum appellabant; Veri autem Mercatores, qui suam artem, non fraudes exercent, justo lucro non immeritò gaudent. Quemadmodum enim necessum est facere sumptum, qui quærit lucrum, ita meritò accipit lucrum, qui fecit sumptum. Castra tu mihi ingredere & è multis legionibus integris si vir es vel unam mihi selige cohortem eorum, qui non lucri imò, quod injustius est, prædarum spe quotidie Parcis litant & cum vita animam venalem gerunt. Cur igitur Martis feroces & san-

Si lucrum justum quærit.

sanguinolentos laudas pullos, Mercurii verò pacificam atque innoxiam prolem vituperas & condemnas?

Nam & sancti fuêre mercatores.

XXXII. Negotiatores olim fuêre sancti Ecclesiæ Patriarchæ, ut sacra historia testatur; Reges etiam & Principes saltem per alios mercaturam exercuêre, ut *Gen.34,21. 3.Reg.10,16. 2.Paral.1,16. Esai.23,8. & alibi* insinuatur. Roma ipsa, quæ caput Orbis erat, & virtutis ipsius quasi Germana soror, sine negotiatione tamen nequivit consistere, sed per cives primarios, equites item ac principes toto Mundo exercuit mercaturam. Imitantur eam hodie etiam Hispani & Hollandi, quorum utrique mercaturam tanquam vitam ac sanguinem provinciarum suarum non minori curâ quâm patrios muros & castra tuen-

Nec impetus sine mercatura consistere possunt.

tuentur ac defendunt. Venetorum respub. quod hactenus potentissimis sæpe Monarchis restiterit, mercaturæ debet, quam & nobiles in eâ & plebeij exercentes id præstant, ut domi habeant nervum pecúniam, quâ profundius non rarò vulnerant hostes, quàm armis. Quod autem *l. 3. C. de Commerc. & Mercatoribus*, nobiliores à mercaturâ arcentur, id, ut Molinæus interpretatur, non fit ideo, quòd mercatura sit res illicita, sed quia difficile commercium est plebejo cum nobili, quemadmodum ipse textus non obscurè innuit. Unde etiam sublatum postea videtur aut certè desuetum hoc interdictum, ut addit Gothofredus in notis, omnibusq; commercia exercendi potestas data fuit. Certè Hispaniæ, Italiæ & Belgii nobiles

Cur nobiles ab eâ arceantur.

negotiari malunt, quàm cum multis aliis egere, latrocinari aut creditores suos fraudare.

XXXIII. Prudentissimè ergo fecerit Princeps quicunque, & citò dives evaserit, si non modò ipse per alios negotiatus fuerit, sed honestissimũ quemque ad exercenda commercia incitaverit potius, quàm otiari siverit. Si privilegia negotiantibus indulserit & immunitates, si constanter denique securitati eorum consuluerit. Olim sanè tanto fuerunt in honore, ut non secus atque legati infensissimis etiam belli temporibus inviolabiles essent, id quod ante annos etiam haud adeò multos ab iis, qui prudẽtius aliquantò belligerare didicerant, observatũ vidimus: Cum enim bellum inter Iberos & Belgas ardebat maximè, negotiationes tamen im-

Quantus honor olim exhibitus mercatoribus.

impeditæ aut ablatæ non fuerunt. Tantum caveatur, ne vel fraudes, vel monopolia, aliaq; quæ bono publico obstant, malitiosis hominibus concedantur, nevé inferri merces permittantur, quibus domestica & nativa redduntur viliora. Deniq; non liceat ad exteros, hostes præsertim, deferri, quibus contra patriam juvari possint. Ita olim efferre aurum non licuit, ut habetur *l. 2. C. de Commerc. & Mercatoribus*, quæ, *non solum barbaris*, inquit, *aurum minimè præbeatur, sed etiam si apud eos inventum fuerit, subtili auferatur ingenio, &c.* Utinam verò atque iterum utinam similis lex olim Germanis nostris lata fuisset, aut adhuc hodiè ferretur, ne vel arma, vel quicquid ad arma pertinet, hostibus nostris venderent vel vendidissent, latiores fortè im-

Cautio hîc adhibenda.

Utinam jam olim adhibita.

perii fines, anguſtiores verò hoſtium vires eſſent! Sed de his ſatis.

Aurifodinæ utiliſſimæ reip.

XXXIV. *Aurifodinas* ut commendemus, non opus eſt; per ſe patet, quanta ſit earum utilitas, quantumq; divitiarum atq; potentiæ ex earum culturâ Reipublicæ accedere ſoleat. Et verò juſtiſsima eſt per hunc laborem ad opes conquirendas via, quicquid diſputet in contrarium Plinius *lib. 30.* ubi miris modis hoc ſtudium inſectatur. Rectius Caſsiodorus, *aurum*, inquit, *per bella quærere, nefas eſt; per maria periculum; per falſitates opprobrium; in ſuâ verò naturâ juſtitia.* Quod ſicuti verum eſt de aurifodinis, ita veriſsimum quoq; de Metallicis in univerſum omnibus habetur, & ad officinas vitriarias, lapidarias, ſalinarias, aliasq; iis ſimiles referri debet, de

Et Metallica omnia.

de quibus hoc loco copiosioribus nobis esse non licet. Ad *Tributa* pergendum est, & pecuniarum exactiones, de quibus pauca sed utilia danda sunt præcepta, antequam ad finem hanc dissertationem perducamus. Vectigalia igitur consueta & ordinarias contributiones justè exigi posse à Magistratu, promtè autem pendi debere à subditis, Servator noster ipse docuit suoque exemplo probavit, nec remittenda ea sunt, etiamsi decies majorem annuatim conficiant summam, quàm quæ in vias, pontes, Magistratus, Milites, & alia reip. necessaria impendatur, cum de futuris etiam solicitam esse civitatem oporteat, & unius sæpe belli apparatus plura absumat, quàm aliquot annorum pax collegit.

Tributa & Vectigalia ordinaria.

Justè exiguntur.

XXXV. Nunquam tamen

Si justa sunt.

per injuriam vel obulus exigendus est à subditis, & inter honestas ærarii ditandi rationes semper eæ eligendæ sunt, quæ publicè & privatim conducunt, ut eâdem operâ & Magistratus & subditi ditescant, aliâs plus incommodi ex odio, quàm è largitione emolumenti orietur. Finis itaq; tributi justus sit & talis, qualem proponit Novella 161. de provinciarũ præsidibus Cap. 2. ubi Imperator, *Una hæc res*, inquit, *potentiæ nostræ studio est, ut provinciæ & bonis gubernentur legibus, & tutò inhabitẽtur, neq; non ex præsidum justitiâ fructum capiant & tributa publica sine querelâ inferantur. Neq; enim aliter conservare licet Rempublicam, nisi pientissimæ præstationes importentur in publicum, ex quibus & militares nutriantur copiæ, ut resistatur hostibus, & per agros ac urbes agantur excubiæ:*

Quis eorum finis?

per-

perfruuntur item reliqui ordines attributis sive salariis, reparantur quoq; muri & urbes, denicq; omnia alia proveniunt, quæ communem subditorum utilitatem concernunt. Optimè hæc Imperator optimus, quem imitari debet, quicunque justè exigere tributa velit. Et nescio an inter justas numerari caussas possint *Spectacula aliaq; omnia, quæ ad delectationem inventa sunt*, ut sequitur Novell. 149. Cap. 2. nisi fortè alia tum fuerit ratio, ob quam certis quibusdam spectaculis carere respublica nequiverit, quâ de re multis disceptare non est hujus loci.

XXXVI. Jam in exigendis novis tributis si eò tandem deveniendum, ut subditi quodammodo graventur, cautissimè spectandum suadent prudentiæ civilis consulti, ut sentiant omnes, pecuniam collatam

In novis tributis exigendis quid spectandum.

I.

tam neque in aulicorum voluptates, neque in exigentis amicos, sed in ærarium publicum deferri & ad usus necessarios ob caussas inevitabiles conservari. Quò etiam illud spectat,

2. quod aureum ego prorsus præceptum judico, *crebra potius tributa, quàm gravia esse debere*, ut summis minutioribus divisa ne sentiant quidem subditi se dedisse. Ita non tantùm minor erit conferentium molestia, sed melius etiam obviari poterit nequitiæ colligentium, qui vel plus exigere, quàm Princeps jussit, vel magnam collectorum partem aduncis manibus ad se-se rapere solent. Unde passim videmus, ministros rei pecuniariæ admotos, quamvis ficcissimarum spongiarũ instar adeò tenues antea fuerint & exsucci, ut juncei potuerint videri vel stra-

Præcidendæ furandi occasiones.

straminei, ita tamen brevi pingueſcere, ut cum magnis Principibus certare velle videantur. Quod ſi minutatim, ut diximus, pecunia colligatur, minor erit hirudinibus iſtis furandi occaſio, & ratio facilius exigetur ab iiſdem, qui aliâs in principem odia & execrationes concitare, ſuos verò loculos auro copioſiſsimo farcire aſſolent, unicè interim ſecuri, quid de miſeris ſubditis fiat, quos hoc modo non tonderi, ſed deglubi neceſſum eſt.

Juſti tributi requiſita tria.

XXXVII. Ceterum ut in pauca contrahamus, quæ alii pluribus explicant, tributa omnia vel vectigalia tum demũ eſſe juſta ſtatuimus, ſi tria hæc adſint: *Poteſtas, Cauſa & Proportio.* Horum enim ſi vel unicum deſit, non tributum erit, quod petitur, ſed præda. Ecquis enim ju-

Potestas. justè exigere dicet eum, qui pōtestatem seu jus exigendi nullum habet, cujus neque subditi sunt, qui dare *coguntur*, neq; servi? Rectè dixi *coguntur*: nam Magistratui legitimo sponte dandum est, nec expectāda exactio rigorosa, cū legitimè debeamus ei, qui jus imperandi habet, adeoq; nihil aliud sit cogi velle, quàm Magistratum clementem esse nolle, *talis enim ne sit iniquè resistendo efficimus*; At qui meus Magistratus non est, ei ego tributū non nisi coactus & invitus pendo i. e. vim patior & ad iniqua compellor. *Causam* esse justā debere, jam suprà indicavimus & per se est manifestū, id tantùm monendum est, *Cessante causâ tributum etiam ipsum cessare*, vel nisi cesset, justum amplius non esse. Itaq; si causa sit perpetua, tributum quoque perpetuum erit, ut fit in iis, quæ

Causa.

Quæ vel perpetua vel cessans.

ad

ad aulam principis sustentandam & ejusmodi alia conferuntur; sin autem temporaria ea sit, temporarium quoq; tributum erit: ut, si belli continuandi causa in certam summam singulis mensibus pendendam consenserint subditi, confecto bello solvere eam ulterius non tenentur. Plus namq; exigit, quàm necessarium est, qui cessante causa petit, quod respectu illius causæ tantum fuit promissum, adeoque nec justitiam, nec æquitatem observat.

XXXVIII. *Proportio* denique observanda est ejusmodi, ut tributum respondeat facultatibus & acquirendi modis, ne tantundem exigatur ab iis, qui manuum fortè labore, victitant, quantum ab iis, qui è re quavis lucrum sibi acquirunt. Ex. gr. possident ejusdem pretii ædes eruditus & Mercator; *Proportio.*

Quæ sine æquitatis læsione non negligitur.

tor ; ille salario à principe vel Republ. constituto contentus à pluviis tantùm & nivibus ædiũ suarum patrocinio defenditur, nihil præterea lucri ex iis sibi acquirit, hic verò & hospitia peregrinis præbet, & certa quædam ædium conclavia amicis locat, & mercaturam deniq; in iisdem perpetuo exercet: poteritne idem ab utroque requiri tributum ? posse quidem non ambigo, sed an justè possit, id verò extra controversiam in dubio est. Æquitas certè contrarium suadere videtur. Aliter Romani olim judicabant, qui post Tarquinii tempora statuebant, ut divites censum, pauperes operas conferrent, quod hodiè etiam multis in locis observari scimus. Angariam vocant hoc genus tributi, cùm labor personarum, equorum, aut

Angaria.

na-

navium postulatur, quæ omnia magnam præstant potentiæ accessionẽ; ita enim publica ædificia restaurantur, viæ, pontes, ripæ, mœnia reficiuntur, quæ omnia ut temporaria, ita corruptioni sunt obnoxia. Cavendum tamen, ne arationis, messis, vindemiæ aut nundinarum tempore munera isthæc exigantur, quod, ut pecuniam sibi quærant, ministri facere solent.

Mercibus aliis alia constituenda vectigalia.

XXXIX. Nec verò personarum tantùm, sed merciũ quoq; ratione alia atq; alia tributa vel vectigalia esse oportet. Mercibus enim domesticis, communibus, necessariis atq; utilibus portoria seu vectigalia vel omnino nulla, vel exigua statuẽda sunt, peregrinis autem, pretiosis, inutilibus ac noxiis & plura & graviora. Eos itaq; potius gravari Reip. expedit, qui

illc-

illecebrosas Indicarum deliciarum condituras, qui aromata non necessaria, qui purpuram aliaq; ad depravandos luxu hominum mores excogitata vendunt, quam nostros homines, quorum industriâ parantur, quibus hoc vitæ quodcunq; est carere planè nequit. Etenim si ea pecunia, quam peregrinarum mercium, plerumq; inutilium, saltem non necessariarum institores quotannis ex imperio secum auferunt, junctis animis contra Turcam impenderetur, non dubito, quin, nisi DEUS prohibuerit, Orientis provinciæ nobis restituerentur. Jam olim Plinius conquestus est Arabiam, Indiam, Seres, imperio quotannis millies HS. auferre, quæ summa duos milliones cum dimidio conficit, hodiè verò quippe luxuriâ indies augescen-

Luxuriæ fomentis resp. enervatur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0506
DFG

scente, longè majorem ad exteros venire summam nemo sanus dubitabit. Rectè igitur Bodinus *lib. 6. de Rep. Cap. 2. Vectigal*, inquit, *Deo gratissimum, Regi honestissimum, subditis utilissimum, quod iis rebus imponitur, quæ ad mores corrumpendos faciunt.*

XL. Legibus denique sumptuariis (quæ 1. Conviviorum. 2. Vestium. 3. Ædificiorum moderationem jubent) quàm mirabiliter potentia augeatur, omnibus est notum. Sed hodiè si quis eas revocandas dicit nostris hominibus superbiæ luxuriæq; penitus mancipatis, lapides loqui videtur, quibus cerebrum iis excutiatur. Itaque ne verbum quidem nunc hac de re addemus. Alios item specialiores rei quærendæ modos ob angustiam paginarum non licet addere: legat qui volet Aristo-

Leges sumptuariæ.

ſtotelem *lib. 2. Oeconom.* ubi eorum quadraginta & amplius reperiet, quorum ad imitationem infinitos excogitare homini ingenioſo non eſſet difficile. Præterea ſunt quædam hîc arcana, quæ potius inſinuanda, quàm indicanda fuerunt: neq; enim vulgo vulganda ſunt, quę apud eos, penes quos Reipublicæ cardo volvitur, melius ſepulta latent, ſunt quippe cujuſlibet chartæ anguſtiis majora, quolibet ſermone meliora. Unum hoc repeto: *Parſimoniam ſummum ubiq; vectigal eſſe, profuſionem verò planiſſimam ad egeſtatem viam.* NB. Non caret Myſterio veterum fabuloſa Theologia, quâ lucro ſeu acquiſitioni pecuniarum rapidum & velocem Mercurium, cuſtodiæ verò earundem, pigrum, tardum, & claudicantem Saturnum præpoſuerunt,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0508
DFG

runt. Observet hoc, qui potentiæ augendæ operam navat: nos ad alia pergimus.

DISSERTATIO IX.
De
CAUSSIS CORRUMPENTIBUS RERUMPUBLICARUM.

Respondente
GEORGIO KIRCHNERO
Noribergense.

Aphor. I.

NOn in eo solum consistit boni Politici officium; ut Rerumpublicarú enumeret species, easq; conservare doceat, sed corruptiones insuper earundem explicet. *Ratio ordinis.*

plicare, mala tàm interna, quã externa proponere, & modum deniq; illorum curandorum indicare tenetur: non secus atq; Logicus & rectè disputandi præcepta discipulis suis proponit & malè disputantium latentes dolos latebrasq; dolosas, i.e. Sophismata monstrat iisdem, ut ab illis & abstinere & rectius sibi cavere discant. Id quod exertè Aristoteles approbat in fine Ethicorum, ubi argumentum quasi generale futuræ tractationis Politicæ proponens, *primum*, inquit, *si quid à Veteribus rectè dictum est, id conabimur recensere: deinde ex collectis rebusp. publicis, quænam sint ea, considerabimus, quæ civitates & singulas respublicas & corrumpunt & conservant, quæq; ob causas aliæ benè, aliæ è contrario administrentur.* Quæ omnia non tantùm eruditè ibi explicavit,

sed

sed accuratè etiam postea in Politicis observavit, ubi diligentissimam περὶ τῶν αἰτίων φυλακτικῶν καὶ φθαρτικῶν, de caussis, per quas civitates & respub. vel conservantur, vel mutantur, vel intereunt, considerationem instituit. Imitabimur & nos, ut par est, cōmunem totius orbis hac in re Præceptorem, & mala rerump. breviter enumerantes curandi ea modum ac rationem indicabimus.

Cur una conservans reip. causſa, corrumpentes ferè multiplices?

II. Ante omnia autem notandum est diligenter, causſam respublicas conservantem unicam quidem esse (de principali loquor, quæque per se talis est) nempe virtutem, sed corrumpentium magnum esse numerum, neq; ferè certi quid de eo statui posse. Cujus rei ratio hæc est, *quia*, ut ait Aristot. 2. *Ethic. C. 6. peccare multis modis contingit, at*

Redditur ratio.

rectè agere unicè. Idq; verissimum esse, non experientia tantùm, sed ratio quoque ipsa demonstrat, præsertim in moralibus seu voluntariis, in quibus semper plures sunt modi peccandi, quàm rectè agendi, propter duplicem in hominibus appetitũ, sensitivum nimirum seu brutum, & rationalem seu voluntatem: nam cum plures sint, qui priorem, quàm qui posteriorem sequuntur, quid mirum, si plures imò infiniti extent, à quibus mala in Rempubl. introducantur, pauci autem, à quibus proficiscantur bona, &

——— *Vix totidem quot*
Thebarum Portæ, vel divitis ostia
Nili.

Atq; hoc est, quod Pythagoræi dicebant, *malum esse infiniti, bonum verò finiti*, &, ut nos alibi fusius explicavimus, *malum ex unico de-*

defectu, quales esse infiniti possunt, bonum verò ex integrâ causâ eâq; totaliter unâ constare.

III. Sicut igitur (ut elegantissimo Platonicorum exemplo rem illustremus) pulcritudo hominis unum quid est & ab unâ totali causâ constituitur, optima nempe lineamentorũ ductura cum accuratâ membrorum proportione; deformitas contra ex infinitis oriri potest defectibus, statimq; adest, si vel nasus nimium longus, vel oculi retorti, vel os hians aut plus justo patulum, vel dentes deniq; fœculenti sint: ita Reip. bonitas, salus, perfectio & quasi pulcritudo ab unicâ totali & absolutâ virtute per se ac principaliter dependet: malitia verò interitus & deformitas ex infinitis ferè aut saltem multis ac variis oriri potest defectibus.

Quæ exemplo illustratur.

Sunt enim innumerabiles calamitatum pereundiq; species in magnâ Reip. mole, non secus ac in humani corporis compage tot cohortes reperiri morborum docent medici, quot sunt membra vel artus. Ut ita nullibi rectius, quàm in Politicis veritatem suam obtinere videamus illud Philosophorum axioma, quo malum in pluribus, bonum autem in paucioribus reperiri dicunt: Sicut enim in naturalibus & artificialibus interdum non usq; quaq; verum illud deprehendimus, id quod in monstris patet, quæ rarò in naturâ contingunt, & in arte factis, quæ si ab artifice propriè sic dicto proveniunt, rarissimè à perfectione suâ aberrant; ita verissimum semper est in rebus practicis, seu, ut barbari loquuntur, agibilibus, ob causam

Malum in pluribus, bonum in paucioribus. Quomq; illud verum?

sam præcedenti aphorismo assignatam.

IV. Unde jam statim appareret, de ejusmodi incommodis, quæ nulli prudentiæ subjacent, sed precibus tantùm & emendatione vitæ tolluntur aut saltem leviora fiunt, agi hoc loco non debere. In infinitum namque sermo excresceret, cum infinitus eorum sit numerus, sæpe etiam talium, de quibus nunquam vel cogitare humana industria potuisset. Ac ne de fame, peste, contagiosisq; morbis aliis nunc dicam, quibus integras civitates periisse novimus, quis præcepta unquam in Politicis de muribus exterminandis, cuniculis talpisq; relegandis, aut ranis coërcendis dedit? Et hisce tamen animalibus abjectissimis interitum suum magnas Respublicas debuisse his-

Mala reipr. prudentiæ nulli subjacentia Politicus non curat.

ſtoriæ teſtantur. Ita enim Plinius *lib. 8. Cap. 29. Nec minus clara documenta exitii ſunt*, inquit, *etiam ex contemnendis animalibus. Marcus Varro autor eſt, à cuniculis ſuffoſſum in Hiſpaniâ oppidum, à talpis in Theſſaliâ: à ranis civitatem in Gallia pulſam, ab locuſtis in Africâ: ex Gyaro Cycladum inſulâ incolas à muribus fugatos: in Italiâ Amyclas à ſerpentibus deletas.* Reliqua videbit ibi, qui volet: nobis indicaſſe locum ſufficit, quippe ad finem citato gradu pergentibus.

Eánon j. roßeniunt ex Aſtris.

V. Illud facere non poſſumus, quin hoc loco moneamus; ſtolidè nimis ſentire eos, qui omnia Reip. incommoda in univerſum neceſsitate quadam fatali oriri, fatuâ credulitate ſibi perſuadent, aliisque perſuadere miſerè conſarcinatis ſive theſibus, ſive centonibus conantur. Religionem illi non tantùm uni-

universam funditus hoc modo tollunt, sed rationi etiam ipsi totiq; adeò eruditæ antiquitati, malitia an ignorantia dubium est, resistunt. Tu tuis peccatis, ego meis, quilibet suis, ad vindictam scelerum Supremum concitamus Numen, fatum hîc ex astris proveniens vel nullum prorsus, vel fatuum statui potest; tantum abest, ut vera sit perversa tua opinio, quâ *astra non tàm inclinare, quàm necessitare* dicis. Ne infinitos tibi hac de re mecum sentientes Ecclesiæ Doctores, aut Philosophorum antiquissimos proferam, quorum vix decimus de nomine tibi innotuit. Ecce Poëtam Homerum disputantem introduco, quem quotidie manibus teris, aut terere saltem debes, modò ut par est, usibus adolescentiæ tibi comissæ prospicere in animum

Verte, & tecum faciam.

induxeris. Is ergo *lib. 1* illius Poëmatis, quod de Ulyssis inscripsit nomine *v. 36.* Malorum, quæ hominibus contingunt, causſam non in fatum, sed in ipsas hominum nequitias & improbitates referendam verbis non Ethnico, sed Christiano homine planè dignis ostendit. Eum legito, mi homo, & quò eos, qui absurditati tuæ herbâ porrigere noluerunt, ire jussisti, eò ipse, per me licebit, ito. Sed cautius mercari in posterum discito, ne, si quid reliquum fortè est eruditi nominis, & illud prodigas. Hoc primum est, quod monere debuimus.

Qui quæ vult dicit, quæ non vult audiet.

Numeri Platonici.

VI. Alterum huic non est dissimile, nempe quid de Platonis statuendum sit sententiâ, qui causſam mutationis & interitus regnorum & rerumpublicarum præcipuè in naturam con-

conditionemque omnium sublunarium refert, quando *lib. 8. de Rep. omni generato*, inquit, *corruptio inest: & nihil eorum omni manet tempore, sed tandem desinit.* De numero autem, quem τέλειον seu perfectum vocat, & novenarii exemplo illustrare conatur, adeo est obscurus, ut acutissimi etiam interpretes mentem ejus intelligere sese exactè non posse fateantur. Quin & ipse Plato non obscurè citato loco innuit, se hac de re certum omnino non esse, quando Musas pro hujus quæstionis verâ explicatione invocandas esse dicit: Unde & in proverbio de rebus obscuris & involutissimis *numeros Platonicos* usurpare solemus. Quicquid sit; falsum quidè non est, quod Plato dicit, nullam rebus sublunaribus, humanis præcipuè, inesse constantiam, cùm ipsum

Ab ipso Platone vix intelligibiles.

ſæpe hominem, omnium iſtorum moderatorem, velox hora diſſolvat, nam & Boëthius ei adſtipulatur, quando *lib. 2. Conſolat. Philoſ. Metr. 3.* ait:

Conſtat æternâ poſitumq́ lege eſſe,
Ut conſtet genitum nihil.

Et Ovidius *lib 15. Metamorph.*

Tempus edax rerum, inquit, tuq́ invidioſa vetuſtas
Omnia deſtruitis, vitiataq́ dentibus ævi
Paulatim lentâ conſumitis omnia morte;

At cauſſam tamen corruptionis rerump. vel tempus vel numerum quemcunque ſtatuere non debebat, ut Ariſtoteles *5. Pol. Cap. ult.* demonſtrat.

Tempus non eſt cauſſa per ſe corruptionum.

VII. Nam primò in eo peccare Platonem dicit, quòd non afferat propriam cauſſam (ita vocamus ex Platonis opinione tempus) mutationis aut interitus.

tus rerum publ. sed omnibus etjam aliis rebus, quæcunq; sunt in hoc Mundo, comunem: cum tamen proximarum caussarum ratio in Politicis sit habenda, non remotarum, & ea præcipuè spectanda, quæ ex ipsâ hac disciplinâ derivantur. Deinde, *si certo atq; naturali tractu cuncta interirent* (verba sunt Paraphrastæ eruditissimi) *sequeretur, ut quæ pariter cœpissent, pariter quoq; interirent, & quæ pariter intereunt, simul quoq; inceperint.* At nunc contra, ea quæ non simul incepêre, simul mutari quotidiè videmus; atq; è diverso. Neq; enim sequitur, ut si pridie Solstitii æstivi, (ut exemplo hoc utar) aliquid inceperit, pridie ejusdem quoque desinat. Quare minus rectè temporis conversioni & annorum hæc adscribit Plato. Hæc ad Aristotelem Heinsius, qui- *Et quare?*

bus convenientia adferri, si tempus admitteret, *è 13. & 14. Metaphys.* possent, ubi Philosophus ex professo demonstrat, omnem numerum, adeoque & tempus virtute effectivâ prorsus destitui. Ne nunc dicam tam debile ens Philosophis visum esse semper numerum, ut dubitare non sint veriti, an is ad quantitatem referri possit, & inter entia realia ac positiva numerari debeat, quâ de re videndi in Metaphysicis Arnisæus, Fonseca, Suarez & alii.

Numerus omnis effectivâ virtute destituitur.

VIII. Rectius faciunt, qui DEUM Optimum Maximum, in cujus omnipotenti voluntate & beneplacito omnia posita sunt, causam faciunt rerum publicarum & imperiorum omnium constituentem, conservantem, mutantem, & transferentem. *Is enim transfert regna &*

A Deo mutationes rerump. proveniunt.

constituit, *Daniel. 2, 21.* per eum reges regnant *Prov. 8, 15.* ejus denique ordinatione ac jussu, ut Siracides *Cap. 10, 8.* libri παραγέτης scribit, *regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias & injurias & contumelias & diversos dolos.* Sed cum ipse etiam universalis rerum omnium non hujus tantùm, de qua nunc agitur, caussa sit, ad proximas & politicas propriè sic dictas descendimus, quas cum Aristotele duplices esse statuimus; *internas* nempe & *externas*, quarum *illæ* ex ipsâ civitate nascuntur, & in visceribus ejus ac membris hærent, non secus ac in hominibus ulcera, pestis, hydrops, phthisis, podagra, morbique alii; *hæ* verò aliunde inferuntur, & grandini, sagittis, fulminibusque comparari nō inconcinnè possunt. Et quamvis variæ utriusque speciei à Politicis re-

Tanquam à caussa universali.

Proximæ mutationū caussæ.

Internæ.

Externæ.

referri soleant, omnes tamen ad hasce reduci putamus, ut internarum quidem corruptionum causſam consummatam seditiones, externarum verò bella esse dicamus.

IX. De priori hac dissertatione sermo nobis erit, posteriorem verò etsi non eâ tantùm ratione, quatenus corruptionis aliqua caussa est, sequenti disputatione considerabimus. *Seditio.* Etsi autem seditiones omnes odia primum, contemtus, factiones, proditiones, similiaq; præcedant, vix tamen interitum Reip. aut mutationem insignem adferunt, nisi in rebellionem tandem manifestam erumpant, quæ quasi colluvies quædam & farrago omnium reliquorum incommodorum non imeritò appellatur, quotquot in Republica oriri possunt.

Sic-

Sicut enim humani corporis constitutio integra conservari nequit, nisi membrum membro famuletur, & omnes artus sibi invicem suppetias ferant, ita magnum hoc Reipublicæ corpus nunquam facilius corrumpitur, quàm cum membra inter sese non tantùm non consentiunt, sed etiã colliduntur, mutuoque attritu sese comprimunt & infestant. Fit hoc, quotiescunq;

coorta est
Seditio, sævitq; animis ignobile vulgus,
Jamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat.

Unde non incommoda eorum esse notatio videtur, qui *seditionem* dictam esse existimant *quasi seitionem* seu secessionem, cum pars reipub. contra partem vel Magistratum etiam ipsum insurgit. X. Hæc

Unde dicatur?

Quàm frequens malum.

X. Hæc sunt incendia illa, quibus tota imperia non rarò conflagrarunt, hi fluctus illi populares, qui, nisi obex quàm maturrimè ponatur, omnia infera supera agunt, ruunt, & prorsus perturbant. Vix ulla interitum Respublica sensit, quem non seditio præcesserit. Romana certè reliquarum omnium caput ac princeps seditionibus agitata, pressa, deleta est, nec reliquiæ ejus immunes esse ab hoc contagio potuerunt aut adhuc possunt. Posterius dies loquitur; prius antiquitatis Secretarii passim inculcant, quorũ Coryphæus Livius *lib. 2.* *Æternas opes esse Romanas*, ait, *nisi inter semet ipsas seditionibus sæviant. Id unum venenum eam labem civitatibus opulentis repertam, ut magna imperia mortalia essent.* Neq; verò gravissimum tantùm est, sed fre-

frequens etiam, ut dixi, & usitatissimum semper fuit hoc malum, quo Augustus, Tiberius, Claudius, Vespasianus, Titus, Nerva, Trajanus, Adrianus, Antoninus, pleriq; etiã alii omnes sunt vexati, ut ex Suetonio partim, partim Historiographis aliis discimus, quorum testimonia proferre paginarum prohibet angustia. Considerabunt ea principes & omnium civitatum moderatores, omnesque illius mali expendent causas, & quicquid subsidiorum possunt sedando illi impediendove comparabunt.

Ex levissimis sæpe causis oritur.

XI. Etenim levissimas sæpe & exigui momenti causas esse seditionum docet Aristoteles 5. *Polit. C. 4.* quas tum præcipuè vires assumere dicit, ubi inter civitatis Principes aut primos oriuntur Magistratus. Neque enim

enim fieri potest, quin Principum seditiones aut nobilium totius cladem ac ruinam civitatis trahant. Exempla ipse refert de Siracusis & Hestiæa civitatibus, quarum illa mutata est ob duorum juvenum de amoribus contentiones, rem profectò ludicram, ut videri potuisset & nullius momenti; hæc ob lites inter duos fratres de patrimonii divisione obortas maximâ calamitatem perpessa est. Horum enim alter cum de fratre quereretur, quod nonnulla bona & præcipuè thesaurum, quem ajebat invenisse patrem, callidè dissimularet aut inverteret, in partes suas plebem & tenuiores callidè pertraxit, alter verò opulentior cum esset, divites. Reliqua ibi videat, qui volet; deprehendet profectò non ex ejusmodi tantùm, sed

levio-

levioribus quoq; occasionibus magnum sæpe incendium conflari, cui extinguendo summa sæpe prudētia vix sufficit. Rectè igitur citato loco Paraphrastes cum Philosopho: *Quare*, inquit, *ab initio his talibus est occurrendum semperq; danda opera, ut, si quæ Principum præcipuè ac procerum seditiones, quod non rarò fit, suboriantur, dextrè ac prudenter componantur. Quippe principio committitur peccatum: & hinc omnis difficultas. Ideoq; non immerito principium totius dimidium erudita antiquitas vocavit.*

Ejus Principiis obstandum.

XII. Possem ex historiâ Romanâ, si solum Livium ac Suetonium adducere liberet, magnorum periculorum ludicras enumerare caussas, sed generalia tantùm præcepta nunc dare animus est, non exemplis rem illustrare aut historiam texere. Illud tamen notatu dignissimum

mum esse judico, jocando interdum imperia mutata & in eos translata esse, qui vel sperare ea nunquam potuêre. Regiliano id accidisse Trebellius Pollio refert, cujus verba subjungimus: *Cum*, inquit, *milites quidam cum eo cœnarent, adstitit Valerianus Tribunus, qui diceret, Regiliani nomen unde credimus dictum? Alius continuo, credimus à regno. Tum is qui aderat Scholasticus cepit quasi grammaticaliter declinare, Rex, regis, regi, Regilianus. Milites, ut est hominum genus pronum ad ea quæ cogitat, dixerunt, ergo potest Rex esse? Item alius, ergo potest nos regere? Item alius, Deus tibi Regis nomen imposuit. Quid multa? His dictis quum alia die mane processisset, à Principibus Imperator est salutatus. Ita quod aliis vel audacia, vel judicium detulit, huic jocularis astutia.* Hæc ille, quibus non dissimilia refert Zosimus de

Imperia etiam per jocum mutantur.

de Magnentio, cui habitus personatus regiam dignitatē conciliavit. Sed ad causſas magis propinquas atq; adeo hujus loci proprias pergimus, quas ex Aristotele aliisq; eruditiſsimis Scriptoribus deducemus.

XIII. Sicuti autem duo sunt quasi membra magni illius corporis, quod Rempub. vocamus, principalia, Magiſtratus nempe ac ſubditi, ita etiam ejuſdem morborū quaſi ſedes ſeu cauſſas potius duplices rectè facimus, ita ut aliæ à regentibus, à parentibus aliæ provenire dicantur. Et quamvis omne vitium & quicquid adeo in Republ. odium, invidiam & contemtum gignit, niſi in herbâ ſuffocetur, diſcordiam, factiones, rebellionesque parere poſſit, peculiaria tamen quædam à Philoſophis enumerantur, quæ

Cauſſæ ſeditionum duplices.

ſi

si in Magistratu reperiantur, omnium celerrimè civitatem omnem dissidere primum, post ire pessum faciunt. Horum Aristoteles 2. *Polit. C.3.* in principio statim duo primaria & aciem quasi ducentia conjungit, ὕβριν καὶ κέρδος, *contumeliam* nimirum & *avaritiam* seu lucri cupiditatem. Quæ quam vim habeant, inquit ad hunc locum Paraphrastes, & quanam ratione sint seditionum causſæ, nemo ignorare, nisi fallor, potest. Nam si contumeliosè Magistratus imperent, aut sint avari, fieri quotidiè videmus, ut non tantū factiones inter se exerceant in civitate cives, verùm etiā ut ipsis Rebuspubl. illorum causſa i.e. si licentiam ejusmodi admittant, sæpe se opponant. Has inquam primas, potentissimas, certissimasque rebellandi causſas non im-

A parte magistratum.

1. *Contumelia.*

immerito Aristoteles, imò veritas ipsa statuit, quas ideo canepejus ac angue fugere Magistratum quemcunq; oportet.

XIV. De *Contumeliâ* res manifesta est & jam olim exemplis comprobata. Nam & Theognis ita canit:

Ὕβρις καὶ Μάγνητας ἀπώλεσε καὶ Κολοφῶνα,

Contumelia & Magnesios & Colophonem perdidit.

Et vulgatum jamdudum fuit veriverbium: ὕβρις τιμωρίαν τίκτει, quo vindictam è contumelia non secus ac filium è matre, fructum ex arbore dicimus generari. Quemadmodum enim contra immanissimas quasque bestias, lupos, ursos, tygres, leones, aliasque quarum rabiem semper in nos armatam scimus, nunquam non hastas, gladios, & omne genus armorum gestamus,

mus, ita quis non odio prosequeretur eos, qui has bestias nimiâ crudelitate nonnunquam vincere velle videntur Dionysios, Basilides, Nerones & alios, quorum crudelitas, etsi ante multos annos jam mortuorũ, vel recitata horrorem audientibus incutit. Maximinus adeò fuit crudelis & in subditos contumelios us, ut eum alii Cyclopem, alii Busiridem, alii Scironem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem vel Gygem vocarint. Senatus eum tantum timuit, ut vota in templis publicè privatimq;, mulieres etiam cum suis liberis facerent, ne ille unquam Romam videret. Quid mirum itaq;, si exitu Tyrannis proprio i. e. morte violentâ perire coactus est? Sed hac de re alibi à nobis actum, & aliâs omnium regnorum experimenta

ta docent, fidiſsimam Reipubl. cuſtodiam Principis aut Magiſtratuum Clementiam eſſe.

XV. De *Avaritia* idem probari ex antiquitatis perpetuâ traditione poteſt: nam quod apud Cœlium Rhodiginum *lib. 18. lect. antiq.* legimus, Apollinis Oraculo Spartanis prædictum nullâ aliâ re quàm Avaritia perituros eos eſſe, id non ſolum in Lacedæmonios, ſed omnes etjam quadrare populos poteſt. Certè in Romanâ republ. pleræq; ſeditiones mutationesque ex avaritia Procerum ac nobilitatis ortæ ſunt: Hinc namq; & tribuni plebis inventi, hinc leges agrariæ toties ſunt tentatæ. Galba ob ſolam opinionem hujus vitii ab exercitu proditus, Didius Julianus verò deſertus & in palatio occiſus eſt. De Phoca, de Conſtantino, de Per-

2. *Avaritia.*

sa Macedonum Rege, de Heraclio, qui Orientis imperium ob avaritiam perdidit, eadem Historici scribunt. Ex hac scil. radice tum omnia mala pullulant, tum verò præcipuè iniquæ tributorum exactiones, quæ rarissimè Principes ditare, crebro illis exitio, officialibus lucro esse solent. Cùm ergo hæc sit natura plebis, ut quamdiu consueta imperantur, quiescat, cum verò modis inusitatis spoliari se intelligit, ad arma vertatur, abstineat Magistratus ab injuriâ omni, fugiat avaritiam, tributa parva per partes, ut præcedenti dissertatione monuimus, exigat, nova haud facilè imperet, uno verbo; neq; publica, neque privata per vim invadat bona, eas enim avaritiæ Species Philosophus citato loco facit; & Ciceronem audiat, qui *lib. 2. Offic.*

Avaritia vel publica vel privata.

fic. nullum vitium deterius esse air, quàm avaritiam, præsertim in Principibus & Rempublicam gubernantibus: *habere enim quæstui rempublicam*, inquit, *non modò turpe est, sed sceleratum etiam & nefarium.*

XVI. *Tertiam* seditionum caussam Philosophus esse dicit *Ambitionem* seu honorum cupiditatem, quâ nihil fœdius excogitari secundum Ciceronem potest, in liberis præsertim civitatibus. Et profectò quicunq; hominum semel huic vitio sacramentum dicunt, ii simul eodem momento omni justitiæ indicunt bellum, dum perpetuo habendi dominandiq; prurítu laborantes, quæ non debent, omnia capiunt, & quę non capiunt, omnia cupiunt. Unde Aristoteles: *De honore quoq;*, inquit, *perspicuum est & quid possit, &*

3. Ambitio.

quomodo seditionis sit causa. Etenim non ii tantùm, qui efficiuntur contumeliâ, sed & ii quoq;, qui honorẽ aliis deferri vident nimium, seditionem concitant ac movent. Ceterum duplici nomine ex hac re oriri seditiones ibidem demonstrat: vel enim ideò offenduntur cives, quod â publicis honoribus sint excluſi, præsertim cum & inter ipsos æquè digni reperiantur atq; inter ceteros, qui sibi soli deberi istas dignitates existimant: vel quia invident aliis istos honores, quos indignos esse iis putant. Sive jam justa sit ista indignatio, ut esse solet, quando indignis honores conferuntur; sive injusta, quando videlicet in eos etiam exardescit, qui merito præ reliquis honorantur; noxia tamen semper est & Reipubl. nunquam proficua. Ideoq; tria hæc præcepta

cepta diligentissimè omni Magistratui observanda ex hoc loco colligit Piccartus: 1. ut dignis conferat honores. 2. Ne eos ita uni cumulet, ut multi negligantur. Et 3. deniq;, ne maximos in unum conjiciat.

XVII. Sed postremum hoc ipse etiam Philosophus statim subjungit, quando *quartam* seditionum caussam ὑπεροχὴν statuit his verbis: *Excellentia seditionis caussa est aut eminentia, cum sive uni, sive pluribus in civitate major quàm pro viribus ac ratione Reipublicæ ac status dignitas confertur ac potestas. Ubi enim talis est præstantia aut excellentia, ibi, siquidem unius ea sit, Tyrannis; aut si plurium, jam ea quam, ut supra dixi, vulgo δυναστείαν vocant, oritur plerumq;.* Et profectò ita res habet, qui enim eò dignitatis evehuntur, ut omnibus reliquis præstare se videant, 4. Excellentia.

illud etiam facilè sibi persuadent, non debere se pari jure & iisdem legibus cum ceteris civibus vivere, adeoq; licere sibi, quicquid libuerit. Unde id agunt sedulo, ut nemo sibi par, nemo superior evadat, omnes à suo nutu pendeant. Sensêre hoc Romani in Julio Cæsare, *cujus temeritas*, ut loquitur Cicero 3. de *Offic. omnia jura divina & humana pervertit propter eum, quem sibi finxerat, honoris causa, principatum.* Sensêre Syracusani, qui hoc modo ab Agathocle & Dionysio, sensere Athenienses, qui à Pisistrato, sensere Mediolanenses, qui à Sfortiis, sensere Florentini, qui à Medicæis, sensere infiniti alii, qui ab aliis nimiâ potentiâ honoribusq; ornatis aut oneratis potius, vel suppressi, vel periculosè saltem sunt concussi. Neq; enim quiescunt, qui magnas sibi

sibi acquisivêre vires, sed tantùm volunt prærogativâ crescere, quantum jam profecerunt, cum non immerito igni potentia omnis ab Augusto Cæsare comparetur, qui quo plus admoves ei stipularum, eo plus consumit & in suam naturam convertit.

XVIII. Quamobrem hoc loco præcipuè observandum est illud Poëtæ:

Principiis obsta: serò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluêre moras.

Et Aristoteles *lib. 3. Pol. C. 9. Melius est*, inquit, *initio videre, ne tantum aliis præstantes sint in Rep. quam postquam permissi sunt existere, postea mederi. Quippe ubi semel jam sumsêre vires, sera & nonnunquam nihil profutura adhibentur remedia.* Atq; idem illud repetit etiam *5. Polit.*

C. 3. jam sæpius citato, ubi ejusmodi potentes cives ad certum aliquod tempus olim è civitatibus per ostracismum relegatos dicit, donec modestius de seipsis sentire didicissent. Neque
NB. sanè contemnenda esset eorum hac de re sententia, qui sub specie summi alicujus honoris homines tantæ potentiæ ac prærogativæ Studiosos in exteras regiones transmitti debere suadent, ut vel bella gerant, vel legatorum fungantur officio, nisi & ipsum illud cum magno videretur periculo conjunctum. Nam qui tantâ potentiæ regnandíque libidine infestatur, quid nî exercitum etiam contra patriam duceret, aut ex legato in hostem vel patriæ saltem proditorem verteretur, cum pleriq; omnes ejus farinæ homines Cæsaris illud usurpare

aut:

aut approbare tacitè soleant: *Si jus violandum, regnandi causa violandum esse.* Prudentius ergo fecerit, qui prius illud observaverit, & nascentibus malis maturè prospexerit de occursu, eaq; prius, quàm sit virium aliqua accessio facta, deleverit & extinxerit. *Melius namq; est intacta jura servari, quàm post caussam vulneratam remedium velle quærere*, ait Imperator *l. ult. C. quib. caussis in integrum quis restituatur.* Id quod experientia plus satis comprobat.

XIX. Et hæ quidem quatuor seditionum caussæ in Magistratibus præcipuè residere videntur, nunc alias Philosophus subjungit, partim & ipsas ad eosdem, partim ad subditos, partim ad utrosq; referendas, quas quidem eodem ordine, quo ab ipso proferuntur, considerabimus. *Quintam* itaque caussam *Alia seditionum caussæ.*

§. Metus. *Metum* esse dicit, eumq; duplicem, ut ad utramque Reipubl. partem pertinere posse videamus, oppressionis videl. & pœnæ: *Propter metum autem*, inquit, *seditiones movent, & qui injuriâ alios affecerunt, metuentes, ne pœnas dent: & qui injuriâ sunt afficiendi, volentes injuriam antevertere.* Magnum hoc est & nocentissimum malum, ex quo celerrimæ oriuntur rebelliones, & quidem plerumq; plurimorum, cum nemo fidus esse soleat illi, quem vel ob injuriam vel crudelitatem timet. Unde rectissimè Cicero 2. *Offic.* ad opes tuendas ac tenendas nihil alienius esse dicit, quàm timeri, neque ullam imperii vim tantam esse, quæ premente metu diuturnare possit. Idque Ennii autoritate ibidem comprobat, cujus hanc affert sententiam:

Quem:

Quem metuunt, oderunt; Quem quisque odit, periisse expetit. Quâ innuitur ex metu primò odium, ex odio deinde insidias, & tandem manifestas oriri hostilitates. Porro quò vehementior est metus, quoque majorem ignoscentiæ desperationem secum conjunctam habet, eò majores æstus concitat, & omnium affectuum fortissimus evadit; ita ut propter metum nimium nihil jam amplius metuere occipiat,— *quid enim metuent morituri?*

XX. Jam sive vim metuant & injuriam superiorũ, qui sunt inferiores, sive pœnas, qui malè egerunt, utrumque noxium est Reip. & minimè salutare, illi enim satius esse putant prævenire, quàm præveniri, hi verò malunt porro turbare, quàm puniri. Quid mirum autem tumultuari subditos, cùm judices

latrocinari vident? Cum vitam, fortunas, famam, in ejus potestate vident esse, qui potius spectat quid possit, quàm quid facere debeat? Sic etiam cum una pars sive unus ordo civium metuit, ne ab alterâ parte sive ordine opprimatur, ex. gr. Cum plebeii metuunt, ne à nobilibus aut ditioribus supprimantur, & pristinâ suâ priventur libertate, quid mirum est, malle eos potentiam atque vires illorum frangere, ne sibi nocere possint, quàm primum expectare ictum & post amissa demum privilegia de recuperandis iisdem serâ nimis solicitudine cogitare? Quod si nonnulli eorum ita sibi sint conscii, non posse tantùm superiores simpliciter, sed jure etiam posse ob peccata quædam admissa aspe-

rius agere, jamq; paratum videant;

deant ad exitium & mille mortis genera apparatum, omnia tentabunt etiam extremo cum vitæ periculo, ut evadant, adeoque fidem non habebunt isti, nescio cujus Poëtæ, versiculo:

Stultitia est ingens ne moriare mori.

Quamvis spes etiam soleat oriri iisdem, fore ut sine vitæ periculo evadant, impediri enim istis seditionibus ordinaria judicia, violari leges, introduci licentiam, omniumq; malorum impunitatem, totum denique Reip. statum perturbari, *interim*, ut Comicus ait, *aliquid fieri*, & deniq;, quod caput rei esse arbitrantur, se hac ratione pœnas effugere posse.

XXI. Ita metus adegit Cæsarem, ut adversus patriam belligeraret, neq; unquam è re suâ fore arbitraretur, ut exercitum dis-

dimitteret, domumq; privatus rediret. Etenim Catonem timebat, qui aliquoties ei minitatus fuerat, se eum Reipublicæ malè gestæ postulaturum quàm primum in patriam privatus rediisset. Itaq; Cæsar retinebat exercitum: cautius se facturum ratus, si alios premeret, quàm ab æmulis suis opprimi se pateretur. Huc referri Turcica etiam parricidia possunt, & omnia Machiavelli Sophismata firmandæ tyrannidi præscripta, quæ metus solius caussa adhibentur. Verisimum enim est, quod Cicero scribit *lib.* 1. Offic. ubi: *Injuriæ*, inquit, *quæ nocendi caussa de industriâ inferuntur, sæpe à metu proficiscuntur, cum is, qui alteri nocere cogitat, timet, ne nisi id prior fecerit, ipse incommodo ab altero adficiatur.* Alcibiades, cum ob rem in Siciliâ malè gestam ad tribunal

nal citaretur & veniam acceptæ cladis desperaret, hostibus salutem suam, quàm civibus credere maluit. Itaq; Lacedæmonem profectus consilium dedit, ut Syracusanis auxiliares copiæ Gylippo duce mitterentur, in Atticâ bellum instauraretur, suppetiæ ferrentur Chiis, Lesbiis, aliisq; qui ab Athenienſibus desciverant, ipse etiam in Ioniam navigans maximâ & facilitate & felicitate alias civitates ab urbe patriâ alienavit. Eodem metu Catilinam ad concitandam seditionem impulsum fuisse demonstrat Cicero, & à nobis etiam de aliis infinitis demonstrari ex historiâ tàm veteri, quàm recenti posset idem, nisi ad finem properaret oratio.

XXII. Hoc tamen observari præcipuè hîc debet, quod ad me-

metum itidem pertinere videtur, nempe *à minis*, quantum pote, *Magistratibus abstinendum* longeque rutius esse occidisse nocentem, quàm mortis comminationes ante executionem dispalâsse, quæ facilimè in vulgus efferuntur, viresq; eundo acquirunt. Vel enim potens est, qui minatur, vel imbecillis; si potens, jam statim de fugiendo vel faciendo cogitabit malo, qui evadere se non posse sperat, adeoq; justam habere caussam existimat, ut se tueatur & quasi indicto bello ad defensionem paret, præsertim cùm secundum vulgatum proverbium non noceat qui minatur, sed admoneat inimicum; si imbecillis, per se nullius momenti comminatio, & *vana est sine viribus ira*. Exemplum diligenter observandum in Aureliano habe-

Magistratus à minis abstineat.

bemus, qui ob minas in Secretarium ſnum Mneſtheum emiſſas & imperio & vitâ privatus eſt. Hiſtoriam Flavius Vopiſcus narrat, & inter alia: *Mneſtheus*, inquit, *qui ſciret Aurelianum neq; ſruſtra minari ſolere, neq; ſi minaretur ignoſcere, breve nominum conſcripſit, mixtis iis, quibus Aurelianus verè iraſcebatur, cum iis, de quibus nihil aſperum cogitabat, addito etiam ſuo nomine, quò magis fidem faceret ingeſtæ ſolicitudini: ac breve legit ſingulis, quorum nomina tenuerat, addens, diſpoſuiſſe Aurelianum eos omnes occidere: illos verò debere ſuæ vitæ, ſi viri ſint, ſubvenire. Hîc cum exarſiſſent timore, qui merebantur offenſam, dolorem miſcentes beneficiis atq; officiis, quibus Aurelianus videbatur ingratus, in ſupra dicto loco iter facientem Principem ſubitò adorti intereme-runt.*

XXIII. Rectiſsimè igitur apud

apud Gellium *lib. 7. Cap. 3.* Marcus Cato in Oratione, quam pro Rhodiensibus in Senatu dixit, etsi deliquisse eos concedat, ignosci tamen postulat: & *ignoscentias utiles esse rebus humanis* docet: *ac nisi ignoscant, motus in Repub. rerum novarum orituros monet: sed enim contra, si ignoscatur, conservatum iri ostendit populi Romani magnitudinem*, ut videri citato loco potest. Verùm hac de re justo ferè prolixiores fuimus: Ad *sextam* ergo seditionum caussam pergimus: quam Philosophus καταφρόνησιν dicit seu *Contemtum*, cujus itidem non tantùm in subditis, sed Magistratibus etjam caussæ esse possunt, & quidem utrobique dupliciter: vel enim contemnentes invadunt eum, quem contemnunt, vel contemti sui contemtum in contemnentibus ulcisci volunt.

6. Contemtus.

Huic

Huic autem causſæ locum esſe dicit ibidem in Oligarchiis præcipuè & statu populari, idque elegantissimè demonstrat. *Nam in paucorum dominatione*, inquit, *plures sunt, cum quibus non communicantur Magistratus; plures autem illi, qui prætereuntur, paucis ac divitibus, qui adhibentur & pro nutu imperant, potentiores se existimant, ideoq; & contemtâ paucitate eorum Remp. invadunt. In populari autem statu divites qui excluduntur, neq; ad Magistratum admittuntur, si præsertim omnia confusè h. e. sine ordine ullo certo ac regimine in civitate geri videant: facilimè inter se conspirant.* Rectè dicit *facilimè* eos conspirare, quia duplici nomine contemtus hic deprehenditur, nam & contemnuntur & contemnunt. *Contemnuntur* quippe à populo, qui summæ præest rei, & vicissim hunc *contemnunt*, quod confusè cun-

cuncta videant ab eo geri. Exempla ibidem affert de Thebanis, Megarensibus, Syracusanis & Rhodiis, quibus ex recentioribus addi potest historia Hilperici, quem ex contemtu regno dejecit Pipinus, VVenceslai, quem eâdem de causâ Electores imperio deturbarunt, & aliorum, de quibus hoc loco agi non potest: Illud certum est, *quos contemnimus, iis parére recusamus.*

XXIV. Remedium huic morbo oppositum per se manifestum est & cuivis obvium: cavendum videlicet esse diligentissimè omni Magistratui, imò omnibus in universum potentioribus in Rep. civibus, ne vel ipsi alios contemnant, vel ut contemnantur ab aliis, caussas præbeant, quod nullâ ratione obtinebunt facilius, quàm si vir-

virtuti ac prudentiæ ſtudeant, neq; ſuæ vel ambitioni vel avatiæ velificentur. Veriſimum certè eſt, quod Bodinus, Tholoſanus, aliiq; demonſtrant, tolerabilius eſſe odium ſubditorum ferre, quàm contemtum. Sed hac de re jam alibi nonnihil monuimus. Pergit porro Ariſtoteles, & *ſeptimam* ſeditionum cauſſam ſtatuit τὴν ἄυξησιν παρὰ τὸ ἀνάλογον, quando aliqua pars ſeu ordo Reip. adeò magna incrementa capit, ut non amplius proportione ſuâ ceteris ordinibus reſpondeat. Rectè enim ſecundum Platonem *l. 4. de Rep.* partium civitatis compoſitio cum harmoniâ Muſicâ comparatur, quæ tum demum ſuavis eſt & jucunda, quando omnes voces æqualiter ſunt temperatæ, nam eodem modo etiam cum Republ. ſeſe res habet,

7. Diſproportio.

bet, quæ optima tum esse dicitur, quando partes ejus seu ordines proportione quadam sibi invicem respondent. Innuit hoc exertè Aristoteles hoc loco, Et: *Ut Corpus*, inquit, *solidum ex membris: sic ex certis partibus Respublica consistit.* Et: *Ut salvâ corporis proportione fieri augmentum debet: ita & augmentum singularum fieri in civitate debet partium.* Et paulo post: *Quemadmodum*, inquit, *si pes quatuor sit cubitorum, corpus autem reliquum duarum modò sit palmarum, fieri non potest, quin intereat proportio; ita fit in civitate, nam si una sive pars illius, sive membrum, clam quod sæpe fit, & ultrà quam proportionis ratio permittit, crescat aut passim intendatur, nihil mirum, si mutetur forma.*

XXV. Exempla videantur apud autorem, cui Livius addi ac Cicero potest, quorum passim

sim querelæ extant de sublatâ Senatorii, Equestris & Plebeii ordinis concordiâ, in quâ universæ Reipublicæ salutem consistere statuunt, pestem contrà ac interitum in discordiâ esse sita demonstrant. Et quid opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt? Convertamus oculorum mentisq; aciem in hodiernum Romani Imperii statum: Unde tot urbium conflagrationes, tot regionum excidia, tot deniq; nefanda furentis multitudinis scelera, nisi ex hoc discordiarum fonte & validissimi vinculi, quo omnia in officio continentur, concordiæ inquâ ruptura? Unde verò hæc nisi ex immutatâ proportione partiũ? Germanici Imperii salutem in ordinum contemperatione, Electorum nempe, Principum, Nobilitatis, & Civitatum Im-

pertialium esse sitam notius est, quàm quod notissimum; ea ante annos aliquot partim contemtu, partim invidiâ, dissidiis partim sublata ne nunc quidem resumit vires aut pristinum acquirit robur. Quin indies magis magisq; videtur languescere, & ruinam tandem sibimet ipsi minari. Utinam in principio hisce discordiarum scintillis frigida fuisset inspersa, antequã in flammam erupisset, utinam ante paucos adhuc annos verbis commodis mollibusq; dissidentium animi, læsæ præsertim partis, tentati fuissent! Fortè ad sanitatem reducta jam esset hæc lues, nec apertâ vi armisq; omnes in universum Imperii anguli opplerentur. Sed non tango libenter hoc ulcus, cum non sit in nostrâ manu ejus curatio. Nobis hoc quidem loco

omnia

omnia ferè salva sunt, DEO Præside; qui ut & reliquas adhuc tempestates moderetur, & eos saniori mente beet, qui ab omni pactione pacis abhorrent, aut quod auream è publicis miseriis messem metant, alios abhorrere jubent, est pro quo ei submisse supplicemus.

XXVI. Septem hisce seditionum causis, quæ cum tumultu fieri consueverunt, jam alias tres, quæ sine motu nec tam ab improbitate seu culpa, quàm imprudētia proficiscuntur, Aristoteles subnectit. *Prima est*, quando Magistratus in homines incidit vilissimos, qui dedecori magis, quàm ornamento esse Reipubl. videntur, quod contigisse Ciceronis ævo ex ejus Epistolis ad Atticum colligimus, in quarum unâ conqueritur, *se Mulionibus in senatu assidere* 8.

9. *ſidere debere. Secunda* eſt, quando Reſpublica non vilibus quidem perſonis, ſed iis committitur, quibus ſalus Reipublicæ non adeò magnæ curæ eſt, quod fit, cum in Magiſtratum cooptantur homines peregrini & exteri, cœlibes item & qui liberos non habent, quorum cauſsâ diligentius Reip. incumbant, quod eos aliquando ſibi ſuccedere poſſe ſperent, & denique otio magis dediti, quam laboribus actionibusque adſueti. Sed cum ex his tandem oriatur neceſſario Contemtus, rectiſsimè videntur ad ſextam ſeditionum cauſam etiam hæ duæ reduci poſſe. Illud obſervandum hoc loco diligenter eſt, *tria ab omni Magiſtratu requiri*, qui cum fructu velit civitati præſidere: 1. Ut vir bonus ſit & virtuti præ ceteris incumbat, 2. Ut prudentiâ præ-

di-

ditus insigni peritiam gubernandi habeat. Et 3. deniq;, ut amet præsentem Reip. statum, nec eum mutari lubens permittat. Unde jam facilè apparet, quid causſæ sit, quod viliſsimi homines & ex sordido quæstu victum sibi parantes, Salsamentarii, Cerdones, Mercenarii, Vitioſi item, ut avari, fœneratores, ebrioſi & ſimiles à Magiſtratu ſint excludendi. Nec de peregrinis & exteris dubium esſe poteſt, cum ii posterioribus duobus requiſitis plerumq; deſtituantur. Etſi enim prudentes quidem & illi esſe poſsint, ignorant tamen mores & ingenia ejus populi, cui præſunt, aut ſi non ignorant, ferre non poſſunt.

XXVII. Certũ enim eſt & diuturnâ comprobatum experientiâ, non facilè gentes diverſas

inter sese coalescere, nisi matrimoniis, vestitu, linguâ paulatim & longo quasi temporis tractu similes reddantur. Equid ergo sperari commodi potest, si extero committantur imperii claves, cui neq; seritur, neq; metitur, utcunq; Resp. se habeat, qui se sublato etiamsi igneſcat illa prorsus nihil ad se pertinere arbitratur. Nec enim sine causâ *in imperio Romano sancitum est, ut Germanus semper* eligatur & ex Germanis Imperator: scilicet ignīculi à naturâ mortalibus innascuntur, quibus ad amorem ejus Reip. in quâ primum hauserunt Spiritum, inflammantur. Bebryces olim in suam civitatem Phocenses receperant, qui cum armis opibusque florerent, illi invidiâ in hospites flagrâre, eosq; ut è medio tollerent, con-

sul-

sultâre. Phocenses cum occultas sentirent machinationes, melius esse rati ferire, quàm ferîri, Bebryces insigni Strategemate victos occidunt, & urbem soli occupant. Plura exempla videre est apud Lipsium, qui plerumque rem infeliciter cessisse docet iis, qui peregrinorum vel consilia, vel imperia admiserunt. Sapiunt ergo Helvetii, qui omnes à Rep. suâ peregrinos semovent; Haud benè sibi prospiciunt, qui invidiæ vitio occœcati exteris parêre, quàm suæ nationis, sui sanguinis hominibus malunt. Sed hæc pluribus explicant Tholosanus *lib. 4. Cap. 5.* Bodinus *1. de Rep. C. 6.* Piccartus *in lib. 5. Polit. Cap. 3.* & alii, quos videre, quibus ita lubitum est, possunt.

XXVIII. *Tertiam*, vel si præcedentes etiam annumerare

velis, *decimam* causſam Philoſophus τὸ παρὰ μικρὸν appellat, quando videlicet quod parvum eſt, nihil videtur eſſe, adeoq; vel planè non animadvertitur, vel contemnitur. Monuimus eâ de re jam ſupra aphor. 11. lectorem, & non eſſe negligenda diximus parva initia, quibus paulatim fiunt magnæ acceſſiones. Quemadmodum enim tempeſtates, quibus quandoque ipſe Oceanus in immanes fluctus attollitur, à parvis vaporibus & exiguis in ſpeciem exhalationibus, quæ in mediam aëris regionem feruntur, initium capiunt; ſic multarum ſeditionũ & tumultuum civilium initia à cauſsis levibus exiguique momenti oriri ſolent, & in graves tamen tragicosque deſinunt eventus. Id quod Veteres non ignorarunt, qui in minima etiã, etſi nimiâ nonnunquam crude-

10.

delitate, animadverterunt. Ita Areopagitæ puerum quendam, qui oculos coturnicibus eripuerat, capitali supplicio affecerunt, virum absq; dubio crudelem existimantes evasurum, qui sanguinem jam puer sitiisset. Ita Carthaginenses Hannonem adolescentem mulctarunt, quod leonē arte suâ mansuetū reddidisset; quid enim, dicebant, non persuasurus est aliquando populo, qui feritatē etiam bestiæ potuit tollere. Neq; eorū contemnendum est hac in re præceptum, qui ne ea quidem malis hominibus concedenda existimant, quæ si in bonis reperiantur, laude potius quàm vituperio sunt digna. Unde etiam eloquentes, si qui sunt in Republ. quos tamen haud adeò benè cupere Magistratibus aut ipsi civitati compertum sit, coërcendos esse suadent, ne ad

populum sermones habeant; cum ea facultas, etsi aliâs utilissima, & nunquam satis laudata, si in seditiosum inciderit Demagogum, longè sit nocentior, quàm gladius in manu hominis furiosi.

Aliæ seditionum caussæ.

XXIX. Alias seditionum caussas partim ab Aristotele, partim ab aliis traditas consultò prætermimus. Quàm incurabiles sint eæ, quæ ex *superstitione* oriuntur, omnibus est notissimum, cum plerumq; ex intimo proveniant animi recessu, & *nihil in speciem* sit *fallacius* dicente Livio *lib. 36. quàm prava religio, ubi Deorum Numen pretenditur sceleribus.* Quid Magnatum & Principum *in fœminas licentia* & inconsultus amor posit, Trojani belli historia, vel si ea forte fabula cuiquam videatur, Tarquiniorum imò Regii nominis è Romanâ civitate expulsio testatur:

Superstitio.

Licentia in fœminas.

&

& ne è sacrâ historiâ, aliisve antiquis Scriptoribus multa referam, nonne Julianus Tingitanus, cujus filia à Roderici Regis Hispaniæ libidine tuta esse non poterat, Mamolinum Saracenum in Hispanias evocavit & extremo periculo totum exposuit regnum? Solent non rarò collegia etiam & societates seditionum caussæ esse, ut & armorum promiscua gestatio, luxuria item & patrimoniorum dilapidationes, quicquid deniq; vitiorum reperiri in hominibus potest, quorum nullum tam est exiguum, ut supra etiam monuimus, quod non magnis imperiis evertendis sufficiat, si vires sibi acquirat. Tot namque sunt in Republ. hostes, quot sunt qui nequitiâ & libidine rem decoxerunt, aut quovis modo sunt injusti. Et sicuti

Nautis fame, siti, vel morbo quodam laborantibus quælibet terra grata est, ita inquietis, vitiosis, & suo vitio egenis omnis mutatio melius aliquid allatura videtur.

Belluæ multorum capitum.

XXX. Quod si jam improbum ad hanc rem Magistrum nanciscatur populus, qui aliàs secundum Platonis definitionem *ingratus est, rerum facilè fastidiosus, mutabilis, crudelis, invidus, ineruditus, utpote ex plebis colluvie & violentis impostoribus collectus, quia id honestum putat, quod à plerisq; laudatur*, facilimo negotio incendium oritur ejusmodi, quo tota Respubl. deflagrare potest. Quapropter cum duo sint remediorum genera, quibus hæc mala curari possunt, *præservantia* nimirum, quæ causas amoliuntur, & *restituentia* i. e. ea, quæ rebus jam agitatis admoven-

Remedia contra seditiones.

ventur, priorum præcipuè habenda est ratio, adeoq; diligentissimè observanda sunt, quæ de rectâ institutione, de virtutibus, de legitimis tributorum exactionibus, aliisque huc spectantibus jam suprà sunt explicata: quæ si adhibeantur, neque oriri facilè tumultus, neq; sedari difficulter possunt. Sin autem jam orti sint, statim in principio glisceti malo occurrendum, nonnunquam per cuniculos obviandum; fugienda tamen tarditas & negligentia, ne consilia conferendi, firmandi sese, vel auxilia contrahendi potestas furenti multitudini fiat. Cumq; nihil desperet, qui sperat nihil, spes danda veniæ est, donec paulatim in rectum reducantur tramitem errantes, officiis etiam demerendi autores, ut retrorsum vela dent.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0569
DFG

dent & Reipub. concilientur, vel si hæc nō procedant, danda opera, ut inter ipsos seditiosos discordiæ progenerentur, quod facilè fieri posse complures historiæ testantur. Primum omnium autem laborandum, ut capita, antequam justas vires acquisiverint exulcerata seditiosi corporis membra, comprehendantur, & in potestatem redigantur. Quibus carceri mancipatis haud difficile deinceps futurum erit reliquam multitudinem coërcere, cujus rarò est ea in armis exercitatio aut dexteritas, ut tam celeriter struere aciem, & in prælium, si usus sit, prodire queat. Sed de his alibi forte copiosius agi poterit, nunc fontes tantùm indicâsse sufficiat, è quibus rivos deducere satis multos ingeniosis haud erit difficile.

DIS-

DISSERTATIO X.

De

BELLO.

Respondente

FELICE HIEROVIO
Thorun. Borusso.

Aphor. I.

Bellum considerare etiam literatus potest.

A Causis internis, quibus Reipublicæ corrumpi possunt, ad Externas dilabimur, quarum summa ac primaria bellum est; quod cum legitimum interdum, interdum verò illegitimum esse possit, pro diversa, è quibus suscipitur, causarum ratione, hac vice breviter & in genere considerabimus ejus naturam, causas, apparatum, conditiones, aliaque quæ ab iis tra-

tradi possunt, quorum aures tubarum clangor non circumsonuit. Quod dum facere instituimus, non operosâ hîc excusatione aut defensione nobis opus esse putamus adversus eos, qui nimium à rectâ ratione abeuntes omnia experientiæ tribuunt, nihil studio, nihil diligentiæ, nihil ingenio, cùm tamen ratio certissima omnium consiliorum dux ac rectrix, experientia etsi nec inutilis, nec contemnenda, incerta tamen nonnunquam vel saltem non omnibus numeris sit absoluta. Quamvis nec illud ignorare debebant, qui ad libros nos ablegantes sibi solis bella gerenda existimant, duplicem experientiam esse, *unam*, quam nostris adeoque propriis experimentis nobis comparamus, *alteram*, quam de aliis historiarum nobis;

Experientia duplex.

bis & antiquitatis ſuppeditant Secretarii, quarum illa quidem ſemper eſt periculoſiſsima & cum multorum excidio paratur, hæc tutior certiorq; & ſine detrimento diſcitur, & maximo cum emolumento adhibetur.

II. Et verò pleriq; illi eruditionis in milite contemtores aut militiæ in literato irriſores, ut ante prælium pugnæ ſunt avidiſsimi & valde tumidi, ita cum in conſpectum hoſtium devenerint, pavidi evadunt ac timidi, *nec facilè*, ut Æmilii probi dicterium habet, *matrem flere faciunt*. Cumq; non rarò, quippe virtutum feminibus nunquam conſiti, pro lanceis lances, pro pugnæ loco focum, pro criſtis ciſtas, pro ſpiculis pocula, pro vaginis lagenas, pro ſpoliis dolia, pro ſcutis ſcorta, pro præliis de-

deniq; prædia habeant, vel saltem tacitè exoptent, fieri non potest, quin cœcas istas corporis partes, quæ armis manibusq; vacant, hostibus monstrent, eosq; omnium esse tutissimos suo exemplo asserant, qui post principia sibi cavent. An non jure meritoque illis respondere posset eruditus, quod olim Iphicrates: Qui à milite interrogatus, *quis esset, quòd tantos sibi Spiritus sumeret, utrum eques, an Sagittarius, an veles, aut Legionarius?* Nihil horum se esse respondit, *sed eum, qui his omnibus nosset imperare.* Quamobrem etiamsi usum armorum tractationemque sibi non vendicent, qui literato in otio vivunt, quid obstat tamen, quo minus judicium & sententiam de armis ferant, idque ex mente veterum sapientum, qui partim ipsi præliis interfuêre,

par-

partim Imperatoribus consilia suppeditarunt; siquidem Medicus parturientem juvare fœminam potest, licet ipse neque gravidus fuerit unquam, neque parturiverit.

III. Olim quidem istis opus fuit defensionibus, hodie frustra sunt, cum pueri etiam belli cognitionem, heu nimiam! habeant; cum in omnibus circulis, imò etiam in rusticorum cauponis non rarò reperiantur, qui inter pocula exercitum ducant; ubi castra locanda, quando cum hostibus manus conserendæ, quando quiescendum, non ignorent. Atq; utinam non esset adeò nota omnibus publica hæc totius Imperii ruina, quæ privatas etiam in se continet, & omnium est, cum nullius propria esse videatur. Sed quid ego prolixam nunc instituam im-

Nimia belli hodie notitia est.

immaniſsimæ hujus belluæ deteſtationem ? non unum aliquod malum eſſe, ſed omnium malorum confluxum quendã ac Oceanum, quo nihil ſit ſceleratius, nihil atrocius, cum exitium & corporibus & facultatibus & moribus bonis & ipſis deniq; animabus afferat, apud omnes hodie in confeſſo eſt. Neque ſine cauſsa Dicæarchus Peripateticus cum omnium cladium genera, quibus genus humanum unquam fuit afflictum, accuratè collegiſſet, & una parte peſtes, fames, eluviones, naufragia, terræ motus, & multa alia notaſſet, alterâ parte ſolum bellum poſuit : novit etenim vir prudens, nihil eſſe malorum quod cum hoc ſit conferendum incomodo, quo ſemel invaleſcente omnis diſciplina jacet, vitia quæcunque

IR-

incrementa capiunt, imò ludi sunt, quæ in pace flagitia censentur.

IV. Hinc πολεμος δημοβορος à Sapientibus appellatur, quod populum devorare nec satiari tamen facilè soleat, ipseq; JEHOVA os attribuit gladio & in ore gladii perire passim in scripturâ dicuntur, quibus bello eripitur vita. Horrenda prorsus sunt emphatica DEI nostri verba Deut. 32, v. 41. ubi: *Si acuero*, inquit, *ut fulgur gladium meum & arripuerit judicium manus mea: reddam ultionem hostibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam: inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes.* Reliqua belli incommoda non enarrabimus, tot enim ea sunt & tanta, ut horrore quodam ab eorum enumeratione revocemur. Audiendus itaq; etiam inter

Bellum quàm immane bellua.

ter tubas, quicunq; pacem suadet Principi, nec confidendum nimio cœcæ Deæ favori. Manet ea, manet inquam mutabilis, & ut Boëthius elegantissimè loquitur, *in ipsâ sui mutabilitate propriam sibi servat constantiam.* Nusquam autem fortunatior est (ut ita dixerim) fortuna, quam in bello; cum enim multa alibi, illic omnia posse illam perhibent. Non cadunt prorsus hostium, fortium præsertim, animi, *unius lucis eventu*: qui hodie victus est, cras forte pugnabit cautius, & è victo evadet victor. Errando enim discimus: & sicut agricolam sterilitas, architectum ædium lapsus, equitem casus crebri, Nautam graves procellæ acuunt, ita Ducis artem infausta prælia quasi tristes fidiq; edocent Magistri, atque ubi sit erratum, plagis ad-

admonent. Nusquam profectò clarius, quàm inter fortunæ vulnera animi magnitudo elucet.

V. Prudentissimè igitur olim Martianus, *Imperatori arma capienda non esse* dixit, *quamdiu colere pacem liceret*: addiderim ego: deponenda ea esse, pacemque restituendam, quamprimum eidem cesserit victoria. Nec audiendos puto qui ad continuandos belli furores classicum canunt, quod plerumq; faciunt, qui aliam vitæ honestè degendæ artem non didicerunt. Cum enim è publicis illis miseriis aureâ messem metant, ita omnia in arte militari collocant, ac si cum bello vita quoque abrumpenda sit. Eorum sequenda sunt consilia, quorum non interest publicam tranquillitatem turbari: *Pax præferenda bellicis.*

Neq;

Neq; enim Medicus (ait Philemon Comicus Græcus) *si benè rem consideres.*

Amicos suos benè valere peroptat,
Nec miles suam sine malo civitatem videre.

Quod quidem ut de Medicis verum mihi non persuaserim, de bello tamen verissimum esse ipsa experientia testatur. Sed hujus mali causa absq; dubio è nostræ militiæ corruptione oritur, non quod leges militares veterum nostris fuerint meliores, quod haud facilè dixerim, cum elegantissimæ eæ & justissimæ sint propositæ in imperii recessibus sub anno 1530. & 1570; verum quod desit earum usus & militi hodie liceat ferè quod lubitum est.

Unde hodie in multis amor belli oriatur.

VI. Absq; hoc foret, multi optarent vehementer, ut arma po-

ponere permitteretur, & quod olim factitatum legimus, in ergastulis Sacramenti fugiendi causſa latitarent, pollices sibi præscinderent, aliasque quærerent effugiendi occasiones, qui nunc ultrò seſe offerunt, & militiæ nomina sua non tam dant, quàm obtrudunt. Cujus rei eò major aliquoties me tenuit admiratio, quò miserius plerique milites, saltem gregarii, ac illiberalius habentur, quorum pleriq; cum ex infimâ plebe & rusticorum manipulis legantur, durissimâ sæpe non sentientes servitute pressi non secus ac victimæ aluntur. Cumq; in aciem jam ducuntur, & ad aras quasi cruenti Martis sistuntur, ad pauciſsimos victoriæ gloria pertinet, pauciorum nomina trophæis inscribuntur. Tot millia jacent occisi, qui etsi fortiter *Miseria militum.*

adeoque non sine laude cecide-
runt, tamen *sine nomine vulgus* in
perpetuum nesciuntur vixisse.
Non pauci, cum ad bellum non
aliter quàm ad convivium alati
festinaverint, paulo post clau-
dicantes redeunt, atque ita è
Mercuriis evadunt Vulcani;
imò apodes etiam nonnun-
quam aliisq; corporis partibus
privati triumpho suo cũ ignomi-
niâ, vel summâ saltem miseriâ
sunt superstites. Quibus
blandior fortuna integris esse
permisit & inviolatis, manubia-
rum loco Zonam inanem refe-
runt, vel gravissimâ scelerum
sarcinâ onusti perpetuum tor-
torem sentiunt, quoad vivunt,
malam conscientiam: quin et-
jam vitiis jam adsueti, cum plus
scelerum in bello & viderint &
perpetraverint, quâm unquam
antea in omni vita, non possunt
de-

denuò, quæ didicêre, dediscere, sed sartam tectamque servant proverbii illius veritatem, quo Itali *bellum* ajunt *fures ferere ac malefi.os, quos pax gladio pòst demetat ac resti.*

VII. Ceterum etsi tot sint cum omni bello conjuncta incommoda, tot scelera, tot calamitates, non tamen omnino illud tanquam illicitum rejicien. dum, aut omnes ex æquo milites inferis sunt devovendi. Licita sunt bella, si justa sunt, nec abolebuntur omnia, quamdiu hic orbis non abolebitur; & quemadmodú cum nato mundo fuerunt, ita decretoria etiam illa & huic ævo suprema dies inveniet bellantes. Inveniet inquam, & si justè bella gesserint ac piè vixerint, etiam salvabit. Gesserunt ea Sancti olim in Veteri Testamento, nam Abra-

Quædam bella licita sunt.

A sanctis etiam gesta.

ham reges vicit *Genes. 17.* Moses & Josua promissam populo Israëlitico terram armatâ manu occupavêre. Quin ipse JEHOVA leges belli dictavit *Numer. 10, 9. Deut. 20, 1. & seqq.* Et *Num. 21, 14.* dictum aliquod citatur è libro bellorum Domini, qui etiamsi hodie amplius non extet, continuit tamen absque dubio, ut titulus ipse comprobat, bella, jubente vel approbante DEO suscepta, gesta, & confecta. Historicos sacri Codicis libros adeò plenos bellorum historiis esse omnes norunt, ut si vel ex improviso aperiantur, nunquam non obtutui sese lectoris aliquod bellum offerat. Et ne cum Veteri Testamento bellandi quoq; licentiam sublatam suspiceris, ecce in Novo Testamento ipse etiam Servator noster idem non semel ta-

A Deo approbata.

Etiam in Novo testamento.

tacitè approbat. Certè Cæsari dare jussit, quæ sunt Cæsaris, imò ipse etiã dedit; nec tamen maximam tributorum partem stipendiis militum impendi ignoravit. Centurioni quoque adeò nihil nocere militiam demonstravit, ut illius fidei nullam in Israël esse parem profiteretur.

VIII. *Jubet Christus hoc stipendium reddi Cæsari, quod Johannes dicit debere sufficere militi, ad hoc enim tributa præstantur, ut propter bella necessaria militi stipendium præbeatur*, ait Augustinus *lib. 20. contra Faustum Manichæum Cap. 74.* ubi cum dixisset, bellum non esse per se culpabile addit etiam hæc verba: *Alioquin Johannes, cum ad eum baptizandi milites venirent, dicentes: & nos quid facimus? responderet iis: arma abjicite, militiam istam deserite, neminem percutite, vul-*

nerate, prosternite. Sed quia sciebat eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondet eis: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Hæc ille. Sed Christus tamen, inquies, *Matth. 5, 39.* ait: *Ne obsistite malo, sed qui percusserit te in dextram maxillam, illi præbe & alteram.* Objectio. Respondet tibi idem Augustinus, & *ad præparationem, inquit, cordis, non ad ostensionem operis præceptum rectè intelligitur.* Solvitur. Hoc est, ut clarius sententia constet, animi hic ad injurias quascunq; patienter perferendas præparantur, ne vindictæ cupiditate transversi agantur; interim petulantiæ fenestra non aperitur, neque Servator eorum nos vult acuere malitiam, qui jam ante nocendi libi-

bidine plus satis ardent. Certè simplicem verborum sonum neq; Christus ipse, neque Apostoli observarunt, ut constat è Johan. 8,23. & ex Actis 16,37. & Cap. 23, 3. *Ridiculi verò sunt*, ait ad hunc locum Clarissimus noster Præceptor Calixtus in Harmonia Evangelistarum, *ne dicam absurdi, qui persuadere nobis volunt perfectiorem vitam vivere, aut rectiorem viam insistere quenquam posse, quàm ab ipso Servatore ejusq; Apostolis factitatum novimus.* Sed quò dilabimur?

IX. Certum enim jam esse & indubitatum puto, non omnia bella culpanda, sed quædam ut legitima & justè suscepta & agnoscenda & approbanda. Quæ autem ea sint, paulo pòst videbimus, modò indicatum prius paucis fuerit, quæ sint illegitima. Utplurimum enim *Illegitima bella quæ?*

enim vel iniqua bella geruntur, vel si justa sunt, iniquè administrantur: & quamvis uterq; bellantium à suis stare partibus Divam illam Astræam plerumque existimet, fieri tamen non potest, quin uni tantum ea adhæreat parti, etiamsi victoria illi non jungatur. Nam & hoc observandum hîc obiter puto, victoriam nunquam facere innocentem, nec quenquam conscientiam suam ita posse fallere, ut exitus eum soletur, si causa injusta reum tenet. Sunt ut omnes homines, ita belligerantes etiam in manu Domini veluti calculi in manu mercatoris, quos collocat, ubi visum fuerit, ut nunc chiliada, nunc centuriam, nunc assem aut semunciam valeant. Ceciderunt interdum justo, quamvis occulto, Dei judicio victi, ut altius sur-

surgerent, quemadmodum è sacris constat oraculis, nonnunquam verò, ut in perpetuum jacerent. Cautissimè igitur non tantùm exitus à caussæ bonitate est distinguendus, sed veræ etjam caussæ à simulatis sive prætensis discernendæ. Multi honestâ intentione, bonoque fine belligerare sese dicunt, nec ob id tamen excusandi semper veniunt, sed ut legitimis viis laudabilibusq; rationibus ac mediis exequantur honestum propositum necesse est: nam *bona caussa male agendo fit mala.* Præterea *cum necesse non sit, ut semper ea quis sentiat, quæ dicit*, sicut est apud Philosophum *4. Metaphys. Cap. 3. text. 9.* cumque larga sit ubiq; eorum seges, qui, ut Poëta ait,

Eventus non facit caussam bonam.

NB.

——— de virtute locuti
Clunem agitant,

Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt;

Quid mirum, si in bello suscipiendo bonæ prætendantur causſæ, in pectore tamen nil aliud, quàm rabies quædam & insatiabilis innoxiis nocendi ardor æstuet?

Etiam mali prætexunt bonum.

X. Quis unquam fuit adeò factiosus turbarum aut seditionum concitator, qui non prætenderit suis consiliis bonum publicum? quotquot publicam tranquillitatem bonorúq; salutem vel turbatam, vel penitus eversam eunt, de privatis suis affectibus & internâ nocivi pectoris ustione ne verbum quidem faciunt, sed causſam suam vel malam prorsus, vel saltem non optimam Mangonio quodam obducentes publica tantum sonant bona crepantque. Unde cum virtuti suæ in-

vol-

volvere sese deberent, vafritiâ, dolis, & astutiâ se muniunt ac defendunt, quæ tamen non nisi ad breve tempus eos voti faciunt compotes, postremo in fumum abeunt, relicto post se non nisi vano & ignominioso rumore. Injusta sunt, quæcunq; ex affectu injusto geruntur bella, & eorum tamen infinitus ex historiis colligitur numerus. Alios ad bellum concitandum *fœminarum* pertraxit *amor*, ut Darium Persam, qui Scytharum regi Jantino bellum fecit, quòd filiam ei jungere matrimonio noluisset; quasi verò cogi posset homo liber & rex quidem, ut filiam alicui invitus locet: ego verò id juris ne regem quidem habere in subditos suos existimaverim. Multorum etjam bellorũ caussam *superstitionem* extitisse Ægyptiæ civitates

Amor fœminarum.

olim testatæ sunt, & recentiores etiam historiæ testantur, forte demonstrari exemplis quoq; adhuc spirantibus posset, nî tempori nobis serviendum. Verissimè profectò Judæorum Philosophus Philo; *Omnes*, inquit, *abhorrent ab externis ritibus & tanto plus honoris putant suis accedere, quanto magis alienos proculcarint.*

Avaritia. XI. Non pauca injusta bella ex *Avaritiâ* orta sunt & adhuc hodie oriuntur pleraque, neq; ferè ullum gestum est vel geritur, cui quamvis justum aliâs sit & justis de caussis susceptum, non inurat aliquam labem hæc pestis, quæ meritò etiam hac in re malorum omnium est radix. Xerxes quidem, cum Atticas ficus gustasset, seque eam terram occupaturum jurasset, quæ ejusmodi produceret fructus, *gulâ* videtur ad istud bellum per-

permotus, caussâ videlicet non minus injustâ & nescio an non magis adhuc frivolâ; sed revera opum profundâ cupidine flagrabat, quâ ita ab omni tranquillitate transversus agebatur, ut quamvis tantis opibus, tantaq; potentiâ polleret, quantis nemo alius, nunquam tamen suis contentus alienis semper inhiaret. Ita enim fieri necessum est, ubi ut Boëthius ait *lib. 2 Consol. Philos. Metr. 5.*

Sævior ignibus Ætnæ
Fervens amor ardet habendi.

Atq; hinc plerique sapientes solam bellorum omnium caussam avaritiam statuunt, & quem jam laudavi Boethius tamdiu sæva tacuisse classica, tamdiu cruore acerbis odiis fuso horrida arma non fuisse tincta existimat, quamdiu preciosa illa latuere pericula, aurum nempe,

gemmæ, & quicquid esse materia avaritiæ potest. Ea cum adhuc deessent:

Quis, inquit, *furor hostibus ulla*
Vellet prior arma movere,
Cum vulnera sæva videret
Nec præmia sanguinis ulla?

XII. Sed alia adhuc restat, eaq;, nî fallor, multò frequentior iniquorum bellorum caussa, *Ambitio*, nempe, & *pertinax dominandi libido*. De quâ multa Augustinus aureis illis de Civit. Dei libris, & præcipuè *l. 3. C. 14.* ubi: *Cum*, inquit, *laudans breviter* (Sallustius scil. quem ibi citat) *antiquiora commemorasset tempora, quando vita hominum sine cupiditate agitabatur & sua cuiq; placebant; postea verò*, inquit, *quam in Asia Cyrus, in Græcia Lacedæmonii atq; Athenienses, cepere urbes atq; nationes subigere, libidinem dominandi caussam belli habere, maximam gloriam in*

Ambitio.

ma-

maximo imperio putare, &c. Et profectò ita est, ut sanctissimus Pater ex Salustio dicit: nam si sola avaritia mentes injustè bellantium occuparet, cur non recipiunt hostium, quos quidem fingunt sibi, preces, qui sæpe omnia dedere sunt parati, ut pacatis sibi liceat esse? Nempe dominationis præter opes continua possessio desideratur, atq; ita, ut Poëta ait, duo ista simul

——— aurum & purpura curis
Exercent hominum vitam, belloq; fatigant.

Quibus deinde malis plerumq; etiam *cupido laudis* & integræ victoriæ gloria connexa est, præsertim apud eos, qui glorioſum esse putant multos interfeciſſe, & ipsis quoq; bestiis crudeliores inferioresque morientibus instant & in ipsâ adhuc victoriâ sæviunt. *Cupido laudis.*

XIII.

Crudelitas. XIII. Quid fœdius eâ gloriâ, quâ maximè sibi Julius Cæsar placebat, cum, exceptis iis, qui bello civili perierant, undecies nonaginta duo hominum millia à se interfecta diceret; & Pompejus, qui etiam Minervæ templo non veritus est inscribere, vicies semel centena octoginta millia à se fusa, fugata, occisa & in deditionem accepta. Eanè satis justa videtur caussa, ut tam sacrum animal & ad Dei imaginem formatum interficiatur, si nomen acquiratur homicidæ? Mirari jam desino Herostrati illius præposteram gloriæ cupiditatem, qui templum Dianę totius orbis rerè celeberrimum, ut nomen sibi pararet, incendio delevit. Quantò major Lucii Sicinii Dentati gloria, etsi non adeò in vulgus nota, qui non de homicidiis, sed de vi-

victoriis potius gloriari voluit, etsi nec istæ sine illis potuere contingere. Est eius hoc apud Plinium, Valerium Maximum, Solinum & Gellium elogium, quod centies manum conseruerit, octies ex provocatione victor, quadraginta cicatricibus adverso tamen corpore nobilis: Spolia præterea cepit viginti quatuor, donatus hastis puris octodecim, phaleris viginti quinq;, torquibus octuaginta tribus, armillis centum quadraginta: coronis, civicis quidem quatuordecim, aureis octo, muralibus tribus, obsidionali una. Populi militaria dona habuit multijuga, triumphavit cum Imperatoribus suis triumphos novem. Major inquam hæc gloria est, quàm illa, quæ de sanguine fuso & interfectorum numero quæritur, neq; tamen ipsa.

ipsa justam bellorum caussam constituere unquam potest.

XIV. Inter injustas belli caussas, ne de ceteris dicam, etiam ea refertur ab Adamo Conzen, *Si quis ob miseros receptos bello prosequatur alios.* Hæc enim ipsius sunt verba *lib. 10. Pol. Cap. 8. paragr. 9. propter eos, qui ex hostibus profugerunt, receptos bellum indicere, nisi sint ipsi malorum autores, iniquum puto, cur enim excisâ patriâ reliquias persequantur? Israëlitæ sanè sexcentis Benjamitis pepercêre, imò uxores etiam dedêre,* Judic. ult. Hæc ille, qui etiam egregium ibi locum è Flori lib. 2. Cap. 18. citat, quo non parum illustrari ea res potest; & tandem totum caput insigni responso Barbarorum concludit: *Bellum, si justum non est, latrocinium est:* cujus intuitu Scytharum legatus liberè ad Alexandrum: *Tu*, inquit, *qui gloria-*

tis

ris ad latrones persequendos te venire, omnium gentium, quas adiisti, latrones. Uno verbo, ubicunq; affectus, ut antea diximus, dominantur, legitimum esse bellum non potest. Eos deponat Princeps, rejiciat iram, invidiam, avaritiam, ambitionem, cupiditates deniq; omnes, & omnia illegitima bella, tanquam destituta alimentis incendia, expirabunt: Virtutem colat ac justitiam, quâ cupiditates immodicæ sic exarmantur, ac si feris mansuescere edoctis dentes quoque & unguium aciem subtraxeris; ut neque deinde, si in naturam redierint, facilè possint habere, quo sæviant. Contrà quamdiu interni isti in pectoris Republicâ sæviunt hostes, nunquam vel paci studebimus, vel justè belligerabimus.

XV.

XV. Non possum, quin hac occasione elegantissimum Philonis locum subjungam è libro, cujus titulus: *Quis rerum divinarum sit hæres*, ubi: *Triplex*, inquit, *belli genus est: unum externum, quod infert obscuritas, ignobilitas & quicquid est simile, & quod ab hominibus invicem geritur: cujus effectus & finis est bonorum spoliatio & cædes hominum. Alterum bellum internum, sed corporale; quo à morbis, læsionibus, mutilationibus, aliisq; pestibus innumeris humanum corpus oppugnatur. Tertium bellum est item internum, sed animæ, quæ à pravis affectibus, ab erroribus, à stultitiâ, injustitiâ, similiumq; Tyrannorum insultibus gravissimis impetitur ac vexatur.* Et paucis interjectis: *Ex affectibus*, ait, *emigratio, perdomatio perturbationum, deletæ iniquitatum infestæ copiæ, & à Chaldaicis opinionibus ad pias & religiosas transitus, hoc est, à sensibilibus creaturis ad*

Triplex belli genus: Externum.

Internum corporis.

Internum animæ.

alu-

autorem earum intelligibilem; tranquillam firmamq́, pacem conciliant. Hæc Philo, è quibus haud difficulter colligitur, vix pacem aut justa sperari bella posse, nisi internum illud animi bellum prius sopiatur, & rationi tanquam reginæ seditiosi cives affectus subjiciantur: quomodo enim externa justè se habeant, si ne interna quidem sunt legitima? Id quod tacitè etiam Poëta suadet, cum ait:

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia, nec virtus altius ire potest.

XVI. Sed cum Præceptum hoc, utpote prorsus generale haud facilè tam altè descendat, ut profundissimis istis humanæ mentis vulneribus hac quidem in re medeatur, cumque vix reperire sit, qui ad Stoicorum usque

que puritatem affectus omnes temperent, etsi in eo, quantum pote, viro bono elaborandum: ad alia jam specialiora & observatu faciliora transibimus. Et siquidem carere prorsus omnibus bellis mortalium non potest intemperies, indicabimus paucis, quid observandum, ut justa ea sint & legitimè administrentur. Ethnici quidem scriptores tres justas belligerandi causas tradere solent: *unam* ad repellendam vim & se suaq; tuenda: *alteram* ad res sibi ablatas repetendas: *tertiam* ad ulciscendas illatas injurias: quarum quidem prima illa *defensoria*, duæ posteriores *vindicatoriæ* non immeritò appellantur. Primam illam in Evagora Rege laudat Isocrates, & *hanc*, inquit, *accepit belli gerendi occasionem, quam opus est ut habeant, qui pii vo-*

Tres justæ belligerandi caussæ.

volunt esse; nempe illatum ab aliis bellum propulsare, non autem priores ipsos incipere. Posteriores pleriq; prætexere solent, & Alexander etiam Magnus teste Curtio *lib. 4.* hanc justam bellandi caussam contra Persas sese habere saltem ore professus est, quod gravissimas ab illis Græciæ illatas injurias ulciscivellet, unde his verbis orationem suam concludit: *Repello igitur bellum, non infero.*

XVII. Accuratius tamen haud paulo hanc rem exponunt Christiani scriptores, & in his Thomas Anglicus, cujus verba cùm & pauca sint, & omnia tamen dicant, quæ dici posse videntur, facere nequeo, quin subjungam. Ita igitur ille in Cap. 14. Geneseos: *Intelligere convenit sex res, ut bellum aliquod justè suscipiatur ac geratur, requiri. Primo,* *Alia belli legitimi requisita.*

mo, necesse est, honestam & justam esse caussam, propter quam bellum suscipiatur. Secundo, Rectam quoq; ejus, qui bellum gerit, intentionem & affectionem esse oportet. Tertio, ut is qui arma sumit, eo sit in statu, eáq; vitæ conditione, ut ei belligerare & humanum sanguinem fundere, non sit indecens atq; interdictum; ut in novâ lege sacerdotes ac viri Evangelici ab armorum tractatione usuq; bellicæ artis, decretis Ecclesiasticis arcentur. Quarto, In gerendo bello, nocendoq; hostibus, atq; ulciscendis injuriis debet esse quidam modus, nempe ut injuriæ damno accepto proportione quadam respondeat animadversio: hunc modum nimis excedere in vitio est, & bello ceteroqui justo non levem injustitiæ labem ac maculam aspergit. Quinto, Opus est legitimâ bellandi auctoritate ac potestate. Sexto, Necessaria est sagax quædam providentia solersq; prudentia, ne propter ignorationem locorum,

rum, temporum, quin etiam virium atq; consiliorum hostium Imperator se suosq; milites in magnum aliquod discrimen imprudenter ac temerè objiciat. Hæc ille, quæ & verissima sunt, & consideratione diligenti dignissima.

XVIII. *Primo* autem caussam esse justam debere existimat & honestam, quod ex eâ rem totam dependere certum sit, non in bellicis tantùm, sed ceteris etiam actionibus in universum omnibus. Quin ut equidem judicare possum, nullibi diligentior caussarum habenda ratio quàm hîc est, ubi non de hæreditate & agellis, aut de unius forte hominis vili capite agitur, sed de totis regnis, de summa potestate ac Dei vicariatu, deque civium omnium sanguine ac fortunis. Non quidem operosè hîc disputabimus, *an miles injustè* 1. *Caussa.* *Quæstio.*

bellanti Domino nomen dare salvâ conscientiâ possit? Cum ea quæstio longiorem quàm pro nostro instituto disquisitionem requirat. Id tantum breviter indicamus, distinguenda hîc præcipuè duo esse, si accuratè satisfieri debeat quæstioni. Nam *primò* vel certa est causa sive bonitas, sive malitia, vel dubia: *Deinde* milites ipsi vel subditi sunt, vel non sunt subditi. Si injustitia manifesta est, nemo militare salvâ conscientiâ potest: si dubia, non puto bellare posse eos, qui subditi non sunt; tutius enim agit, qui rei dubiæ ad se non pertinenti se non immiscet. Sin autem subditi sunt aut Sacramento jam tum obstricti, tenentur sequi Imperatorẽ; quod in dubio patriæ potius, quàm inimicis favere oporteat. Augustinus ita censet contra Faustum

Solv.

stum *lib. 22. Cap. 75.* Et: *Si*, inquit, *Vir justus fortè sub rege sacrilego militet, benè potest illo jubente bellare, cui quod jubetur, vel non esse contra DEI præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortasse rerum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo servitutis.*

XIX. Longè autem major indagatio Ducibus ipsis aut Magistratibus belligeraturis convenit, qui prorsus esse certi de bonitate caussæ debent, neq; in caussâ dubiâ sine magno peccato bellare possunt, nisi defensivè. Prima enim, ut supra diximus, & quidem justissima caussa ea est: tum *quod juris naturalis sit l. ut vim. ff. de J. & J. & omni generi animantium à naturâ tributa l. 1. §. cum arietes. ff. si quadrup. paup. fec. dic.* tum etiam, quod tâm peccet contra justitiam princeps, qui Rempu- *Defensio sui.*

blicam non defendit, quàm qui aliena invadit. Nec verò nos ipsos tantùm jure defendimus, sed nostros etiam socios, qui fide nobiscum pactisq; invicem sunt juncti. *Qui non repellit à socio injuriam si potest, tàm est in vitio, quàm ille qui facit*, ait Ambrosius *lib. 1. de Offic. Cap. 37.* imitatus absq; dubio Ciceronem, qui ejusdem argumenti *lib. 1.* duo esse genera injustitiæ scribit, unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possint, non propulsant injuriã. Et *lib. 4. de republ.* nullum bellum suscipi ait ab optimâ republica, nisi pro salute vel fide: ubi per illud propriam, per hoc verò aliorum intelligi defensionem existimamus, quod fides sociis sit præstanda, sine quâ nec Mundus posset consistere. Interim non dubitamus, quin adden-

Et sociorum.

denda fit hæc limitatio, ut sociorum causſa & ipsa sit justa ac ab omni iniquitate aliena. Ita Abrahamus vernaculos suos 318. armasse, & alios nonnullos socios sibi adjunxisse dicitur, ut Lothum fratrem suum liberaret, *Genes. 14.* Tantum de causſa defensoria.

XX. Vindicatorias etiam causſas justas esse extra controversiam est, & ex *Num. 31. Judic. 19. & 20.* manifesto apparet. Ac Augustinus *in Cap. Dominus noster. 23. quæst. 1. Justa bella, inquit, sunt, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit id, quod à suis improbè factum est, &c.* Interim quod attinet recuperationem rerum nostrarum, notandum est, *vetustas causſas malè excitari*, ut docet Albericus Gentilis *lib. 1. de jure belli Cap. 22.* & alii. Atq; huc etiam *Vindicatiæ causſæ.*

ea bellandi causſa refertur, quando in eos ducitur exercitus, qui hoſtes injuſtè reſiſtentes juvarunt, niſi vel ſubditi hoſtium fuerint, vel de causſa belli nihil certi iis conſtiterit. Si enim innocentes judicamus, ut certè facere tenemur, qui in causſâ præſertim dubiâ arma & commeatus iis præſtant, quorum in fœdere jam dudum fuêre, non poſſumus eoſdem finito jam bello denuò vexare, aut tanquam injuſtos punire. Multo minus in eos ſævire licet, qui non adjuverunt hoſtem, ſed tantùm favore aliquo vel ex amicitia, vel affinitate, vel quacunq; alia ratione ſunt proſecuti; ſicuti nec ob privatam injuriam aut damnũ principi aliive illatum univerſæ cuidam genti aut provinciæ bellum legitimè infertur, ut partim ex Alberico, par-

partim etiam è receſsibus imperii deputationis VVormatiensis *sub anno 1564. paragr.* Dennerſtlich ſo begebe ſich/ etc. conſtat. Juſtiſsimum deniq; eſſe bellum certum eſt, quod ob legatos violatos infertur, cum eo peccatum contra jus gentiũ commiſſum legitimè vindicetur; modò nihil ii præter officium legationis molianturſnam ſi vel hoſtilia machinati fuerint, aut ſpeculatores potius exploratoresq; egerint, quàm legatos, alia eſt ratio, ut pluribus demonſtratur alibi.

XXI. *Secundum* legitimi belli requiſitum, quod è Thoma Anglico ſuprà poſuimus, recta fuit intentio, quæ tum adeſt, quando, ut jam aliquoties diximus, non privato quodam affectu, ſed publici totius Reipublicæ commodi gratiâ ſuſcipitur, & ut 2. *Recta intentio.*

ut Cicero ait, *eam ob causſam, ut ſine injuria in pace vivatur, vel nihil aliud niſi pax quæſita eſſe videatur*: de eo copioſi non erimus, cum jam ſuprà id explicatum; ut nec de *tertio*, quo Eccleſiaſticos à bello gerendo, & rectè quidem, arcet. Etſi non opus erat, ut è decretis illud probaret, cũ ipſa Scriptura ſatis apertè idem inſinuet *2. Cor. 4.* ubi Apoſtolus, *in Carne*, inquit, *ambulantes non tamen ſecundum carnem militamus. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia DEI ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnẽ altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam DEI, &c.* quæ verba ita interpretantur Ambroſius, alii; Eccleſiæ Doctores, ut armis ſecularibus uti prorſus eſſe prohibitum putent Clericis. Horum namq; longè aliud munus deſcribitur *1. Tim 3.* ad cujus

3. Perſonæ bellantis qualitas.

verſ.

vers. 3. ubi Apostolus Episcopū Percussorem esse prohibet, expresse Conzius: *Deponendi igitur illi*, inquit, *qui Clerici militiam sectantur: qui noctu urbium plateas infestant obviosq; cædunt: quos potius domesticos & urbicos latrones, quàm Clericos dixeris.* Quamobrem

Bella viri pacemq; gerant, quis bella gerenda.

Sacerdotes & Clerici populum doceant, laterum munimentum veritatem & loricam justitię, scutum fidei, galeam salutis, & gladium Spiritus, quod est verbum DEI, è promptuario Pauli proferant, suisq; auditoribus aptent, ut & illi & ipsi universa maligni tela ignea queant extinguere.

XXII. *Quartum* requisitum Thomas noster h[illegible] esse dixit: ut modus observetur ultionis: qui enim si excedatur, ex justo etiā *4. Modus ultionis.*

bello injustum ilico fieri. Unde
Quæst. nobilis illa oritur quæstio: *An pars læsa, si hostis, qui injuriam intulit, reparare damnum velit, acceptare satisfactionem bellogz abstinere teneatur?* In diversas hic itum est sententias, aliis affirmativam, negantem aliis sine omni distinctione sequentibus. Rectissimè
Solv. nobis sentire videntur, qui diligenter esse distinguendas docent injurias, quarum nonnullæ *fortunis* tantum inferuntur, nonnullæ *corporibus* ipsis, nonnullæ *famæ* & honori, nonnullæ deniq; *pluribus*, vel etiam omnibus hisce *simul sumtis*. Jam sicut inter hæc bona fortunæ illa sive externa in universum, ad quæ etiam fama referri potest, minima sunt, ita facilimo quoq; negotio pax restitui posse videtur, si ablatæ divitiæ, abacta pecora, ereptę civitates, prædia exusta.

sta, &c. restituantur; vel justo precio rependantur; si convitia recantentur, & confessâ calumniâ læsæ partis fama quasi in integrum restituatur. Etsi detrimenta quoque, ut sumtus bellicos, lucrum cessans, & damna reliqua ad æqualitatem in usum læsę partis exigi posse non negaverim, ut ita æqualitas sublata restituatur & injuriantipro læsione injustâ pœnę etiam nonnihil infligatur. Quod si has conditiones pars lædens receperit, abstinendum ab ulteriore lęsione existimo, neq; ideo aliam Rempubl. prorsus opprimendam, quod semel in aliam fuerit injuria, præsertim si tota illa alteram non læserit.

XXIII. Major esse difficultas videtur, si ipsis corporibus vis illata, si vel pudicitia, vel vita etjam sit erepta. Cum enim ejus-

modi peccata inter privatos comissa puniri morte soleant, non videtur inter duas etiam Respublicas sopiri ista lis posse, nisi una Respublica in alterius se dedat potestatem & arbitrium, nisi tota se morti offerat, & colla securibus submittat. Verumenimverò ne hoc quidem vel exigere potest pars læsa, vel præstare tenetur lædens. Et tanta hîc est inter privatos delinquentes & exorbitantem Remp. discrepantia, ut ab illis ad hanc argumentari planè non liceat. Nam 1. inter privatos secundum jus scriptum judicatur, inter duas Respublicas jus naturale & gentium spectari debet; quod cum præcisè & in se consideratum neminem cogat, ut Scortatorem vel homicidam interficiat, sed aliis etiam pœnis in iisdem delictis lo-

A privatis ad publica non valet consequentia.

1.

locum relinquat, non cogitur Resp. ut alteri Reip. hac ratione sese submittat: legibus verò scriptis alterius istius læsæ Reip. non subest. 2. Privato maleficò sine omni conditione à judice mors denunciatur, neq; is contra justitiæ ministros defendere sese potest; at Reip. uni ab alterâ bellum quidem adeoque mors intimatur, sed non absolutè, verùm cum hac conditione, nisi Reip. læsæ fuerit satisfactum. 3. Privatus quando capitali pœnâ afficitur, ipse solus eam subit, uxor, liberi, parentes & cognati ejus, ut innocentes sunt, ita puniri etiam non solent; at Reip. toti si mors intendatur ac interitus, necessum est multos perire innocentes, saltem inter fœminas & infantes, quorum nulli istius læsionis esse possunt participes. 2. 3.

XXIV. Itaq; si doleat Respublica se alteram læsisse, si autores commissi sceleris tradat, si quibuscunq; aliis modis satisfactionem spondeat, non potest ulterius oppugnari, multo minus autem, ut tota moriatur aut intereat, juberi; quin etiam contra nimis duram sententiam & crudelem tyrannidem alterius reip. armis sese tueri & mutatâ causâ victoriam sperare licet. Quod si jam bellum geratur, parsq; lædens labante demum acie & ad interitum spectante satisfactionem offerat, non tenetur quidem ex justitia seu jure stricto eam altera pars acceptare, sed è re tamen suâ fecerit, si parcat & charitati etiam aliquem relinquat locũ, multosq; in eo exercitu esse cogitet, qui vel innocentes prorsus sint, vel necessitate, errore, aut

aut levitate peccaverint. Rarò cum desperatis felicia bella sunt, semperq; fortius pugnant, qui extrema videntes pro vitâ & libertate decertant. Hinc 2. Sam. 2. *Exclamavit Abner ad Joab & ait: Num usq; ad internecionem tuus mucro desæviet? an ignoras, quod periculosa sit desperatio?* vel ut alii vertunt; *Num in æternum devorabit gladius? an ignoras, quod amaritudo sit eventura in novissimo?* Etenim sicut in vini fundo amarissimæ subsidunt feces, ita quoq;, ut loquitur Salustius in fragmentis, *gravissimi sunt morsus irritatæ necessitatis.* Et rectè Thucydides lib. 7. Syracusanorum prudentiam deprædicat, qui cum Athenienſibus jam profligatis cominus pugnare detrectaverant, sed iter tantùm eorum levibus certaminibus, fuerant morati *quod inutile periculosumq;*

si

sit, cum hominibus de vitâ suâ desperantibus congredi. Nam cum spei nihil est, sumit arma fortitudo, ait harum rerum peritissimus interpres Vegetius *lib. 3. Cap. 1.*

Nimia crudelitas Victori noxia.

XXV. Infinitis posset exemplis demonstrari, quàm malè semper Ducibus bellicis cesserit nimia crudelitas, & post victoriam insolentia. Cum verò nec tempus copiosioribus nobis esse permittat, nec instituti ratio, sufficit tantum suasisse principi belligeranti, ut observet illud Romanorum

Parcere subjectis & debellare superbos,

imò turpe etiam existimet atq; indecens in victos adhuc sævire:

Corpora magnanimo satis est prostrâsse leoni,
Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet:

At

At lupus & triſtes inſtant morientibus urſi,
Et quacunq; minor nobilitate fera eſt,

ait rectiſsimè Poëta. Sed, ut ad rem deveniamus, *quintum* iuſti belli requiſitum Anglicus eſſe dixit legitimam bellandi autoritatem poteſtatemque. Sola namque perfecta Reſpublica belli indicendi jus habet, privati ſive alterius ſub poteſtate conſtituti belligerare nequeunt, niſi conſentiente eo, penes quem eſt ſumma in Repub. poteſtas. Si enim Nobiles, Comites, Duces, aliique medii in Republ. Magiſtratus propria autoritate exercitum conſcriberent, jam tota Reſp. conturbaretur & fortior opprimeret imbecilliorem. Quamobrem, ut Martianus JCtus reſpondit ad

5. *Autoritas legitima.*

ad legem Juliam Majestatis, *Tenetur is Majestatis lege, qui injussu principis bellum gesserit, delectum habuerit, exercitum comparârit.*

XXVI. Caussa in promtu est: qui enim agnoscit superiorem, eum oportet de controversiis audire supremum judicem: & ideò Reip. ipsi aut summo Magistratui armis uti licet, quod neminem agnoscat sese in his terris superiorem, coram quo accusare possit eos, à quibus damnum est illatum. Unde illud Christi Matth. 26. ad Petrum dictum, *qui acceperint gladium, gladio peribunt*, omnes Theologi de privatâ vindictâ interpretantur, quæ nemini concessa est, non de publicâ totius alicujus civitatis, quę non sumit vel accipit, sed *habet gladium*

dium in ultionem malefactorum, eoque cum ratione uti debet. Et Augustinus *lib. 12. contra Faustum Cap. 76. Ille*, inquit, *gladium accipit, qui nullâ superiori ac legitimâ potestate ac volente, vel concedente in sanguinem alicujus armatur.* Ceterum quod de Principibus superiori subjectis diximus, intelligendum est de potestate ordinariâ, non extraordinariâ. Hac enim & ipsis belligerare certis quibusdam in casibus conceditur. Ut cum periculum est in mora, cum longè abest superior Princeps, cum deniq; proprii illis subditi resistunt & hostilia machinantur. Tunc enim non Principibus tantùm, sed urbibus etiam sine Superioris mandato & scientiâ belligerare conceditur, ut nimirum vi armisq; coerceant, qui legibus ac

pœ-

pœnis teneri amplius in officio nolunt. Ratio est: quia Magistratus intermedii respectu superioris quidem pro privatis habentur, respectu autem subditorum & ipsi sunt superiores, ac gladium gestant, etsi non in omnes, in eos tamen, quibus ut Magistratus præsunt. Quâ de re recessus Imperii & aurea bulla Caroli IV. videri debet.

6. Prudentia.

XXVII. *Postremum* justi belli requisitum est, ut magna cum prudentiâ geratur. Sicut enim maturo & lento consilio ad bella procedendum, ita etiam gerendum cautè est. Considerandum diligenter, quis & qualis sit hostis? an Pœnus? an Asiaticus? an impetu tantum & viribus, an verò etiam dolis atque prudentiâ nobis vel æqualis

lis sit, vel superior. *Stolidus profectò & ille est*, secundum proverbium vulgatum, *qui contra quinquaginta lupos vel mille ovibus adornat bellum.* Habenda locorum etiam diligens ratio, ne commeatu intercluso fame perire cogantur, qui hostibus erepturi vitam erant gladio. Quod cum non observaret Æthiopes oppugnaturus Cambyses & non provisis commeatibus, non exploratis itineribus, per invia, per arentia traheret omnem bello utilem turbam, inter primum iter necessariis destituebatur, nec quicquam ei subministrabat sterilis & occulta humanoq; incognita vestigio terra. Itaque ut Seneca ait *l. 3. de ira. Cap. 20. Sustinebant famem primo tenerrima frondium & cacumina arborum, tum co-*

ria

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0625
DFG

ria igne mollita & quicquid necessitas cibum fecerat: postquam inter arenas radices quoq; & herbæ defecerant, apparuitq; inops etiam animalium solitudo, decimum quemq; sortiti alimentum habuerunt fame sævius. Agebat adhuc ira regem præcipitem, cum partem exercitus amisisset, partem comedisset: donec timuit, ne & ipse vocaretur ad sortem, tum demum signum receptui dedit. Ita nempe fit, ubi sine consilio, sine prudentiâ bellum aggredimur, & ad stultorum fiduciam confugientes fortunam nobis spondemus; imò tam propriam atq; domesticam nobis arbitramur Bonam, ac si certi essemus, eam in æternum exilium ejecisse Malam Adversamq;. Itaq; canere etiam in fine solemus imprudentum illud: *non putâram*, quod ut ubique noxium, ita in bello capitale est.

XXVIII.

XXVIII. Hinc optimè consulunt Reipublicæ, qui maturè paranda ad bellum necessaria suadent & pacis tempore de commeatu, pecuniis, armisque jam sunt solliciti. In bello enim ipso parari ea non debent, sed adesse ac usurpari. Etsi & hoc necessum, ut in ipso exercitu reperiantur, qui nova quotidiè subministrent. Observatum illud diligenter à Romanis omnium gentium in re bellicâ sine dubio Magistris, de quibus *lib. 2. Cap. 11.* Vegetius: *Habet*, inquit, *præterea legio fabros lignarios, instructores, carpentarios, ferrarios, pictoresq́, reliquosq́ artifices, ad hybernorum ædificia fabricanda, ad machinas, turres ligneas, ceteraq́ quibus vel expugnantur adversariorum civitates, vel defenduntur propriæ, præparatos, qui armæ, qui vehicula, ce-*

De belli requisitis in pace consultandum.

te-

teraq́, genera tormentorum vel nova facerent, vel quaſſata repararent. Et ne quis exiſtimet, noſtris ducibus ea dicta non eſſe, quod aliis hodiè inſtrumentis, aliis utamur armis, ſubjungit generalius aliquod, idq; ab omnibus obſervandum, & hæc, inquit, erat cura præcipua, ut quicquid exercitui neceſſarium videbatur, nunquam deeſſet in caſtris. Porrò exercendi in arte militari ſubditi, etiam tum, quando nullus eſt hoſtis patriæ, dandaq́; opera, ut quod Romanorum diſciplina facere ſolebat, teſte Bodino *l. 5. de Republ. Cap. 5.* ex ignavo cive fortis, ex intemperanti moderatus, è deſidioſo ſtrenuus, è luxurioſo frugalis, è libidinoſo continens evadat. Unde Plato de legibus inter pueros etiam exercendam militiam ſuadet; & nihil eſſe neq; firmius,

Exercendi in armis cives.

Imo pueri in illis.

mius, neq; felicius, neq; laudabilius ea Repub. in quâ abundant milites eruditi, censet Vegetius *lib. 1. Cap. 1. & 14.*

XXIX. Non sine causâ de nostrâ militiâ conqueritur Lipsius *lib. 5. Polit. Cap. 8.* Et: *Exercitant*, inquit, *militem non legunt. Ad sonitum tympani coeunt, ignoti inter se ignorantesq;, purgamenta urbium suarum, quibus ob egestatem & flagitia maxima peccandi necessitudo est, assueti latrociniis, bellorum insolentes.* Atq; utinam hodiè locus non esset huic querelæ, cum non tantùm inter gregarios, sed primarios etiam reperiantur, quibus rapto vivere, longâ quadam assuefactione, unicus agendæ ætatis modus est. Requiritur à milite etiam gregario præter exercitationem

Nostri milites rarò exercitati.

quædam prudentia saltem mediocris, ut ad altiora audeat aspirare, adeoq; hac spe fultus virtuti diligentius incumbat.

Boni militis requisita.

Requiritur secundum Vegetium, tolerantia laborum, & artuú quædam durities, ut sub Jove frigido commorari, solem imbresque perferre, alias aëris injurias etiam spernere possit; requiritur temperantia frugalitasque, ut delitiis etiam lubens abstinere, lardo, caseo, pane atro, & omnibus cibis vilioribus latrantem queat compescere stomachum: requiritur audacia velocitasque, ut & irruat facilè in hostem, & eundem fugientem celerrimè persequatur: requiritur denique, quod caput rei est, summa obedientia, quæ tantò major esse debet & alacrior in milite, quan-

quantò majora in bello juberi solent, quippe ubi ad Imperatoris jussum in mortem non rarò sit eundum. Sed de militibus eorumque officio, conscriptione, delectu, lustratione, auctoratione, præstatione Juramenti, aliisque huc spectantibus in generali hac consideratione tractari non potest: videantur *Vegetius*, *Lipsius*, *Obrechtus*, *Becerus*, & præcipuè *Henricus Ranzovius Produx Cymbricus* in eruditissimo Commentario bellico omnem laudem & commendationem excedente.

XXX. De Personis & Officialibus bellis monenda quidem meritò nonnulla essent, nisi jam excrevisset aphorismorum numerus: legantur ea de re autores citati, è quibus

Catalogum illorum contexuit Reinhardus König, *part. 3. Theatri Polit. Cap. 10.* Illud tantum monendum, ducem ipsum belli non solum prudentem, alacrem, temperantem, sobrium, omniqúe virtute conspicuum, sed ante omnia pium esse debere, ut auxilio DEI potius, quàm viribus propriis confidat. Ipse enim JEHOVA ad Amasiam: *Si putas*, inquit, *in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus. DEI quippe est adjuvare & in fugam convertere.* Hic Princeps si adsit, non est apud eum ulla distantia, *utrum in paucis auxilietur, an pluribus*, ut loquitur cum pietate fiduciam conjungens Asa Rex Judæ. Fortunæ autem aut casui hanc tantam rem committere velle, stolidum prorsus est & insanum. Nihil

Requisita Ducis.

Fortunæ non fidendum.

hil tam fallaciter blanditur, quàm instabilis ista Diva: nihil tam lubricis incertisque incedit passibus: nullius rei lapsus & ruina est damnosior. Dominatur ei sapiens ac pius, quem revereri cogitur ob has Virtutes: illa contrà imperitis & imprudentibus imperitat, qui levitate quadam juramentum ei præstant, dum non aliò oculos suos convertunt, quàm in hanc oculis carentem, nec sentiunt, nisi in hoc objecto omnis sensus experte, ut experientia heu nimium! testatur. Sed frenanda tandem curiositas & cohibendus est stylus: rogandusque ter Opt. Maxim. JEHOVA, ut nostrarum etiam calamitatum, quarum finem vix ullum videre possumus, tandem aliquis terminus appa-

reat, & frenum injiciatur iis, qui tantâ contentione classicum ad intestina bella canunt.

Votum pro pace restituenda.

XXXI. Nec verò adeò desperatum est hoc malum, ut medicam manum non admittat, nondum occalluit, nondum scyrrhum contraxit, modò sint, ut esse scimus, qui pergant salutaria suppeditare consilia, eaque recipiant, quorum hæc non minima est virtus, quod fideles monitores non protinus repudient; præsertim quos constat amore boni publici captos seipsos in pericula conjicere, dummodo patria salva sit & incolumis. Exclamemus cum Jeremia: *Ebeu! Gladie* JEHOVÆ, *usquequò non es requieturus? recipe te in vaginam tuam, quiesce & subsiste.* Ah gladie

die JEHOVÆ quiesce! Aperi ô DEUS oculos nostros, & propitius concede, ne amplius in viscera nostra ferrum stringamus, aut eos lædamus, quorum patroni, amici, & fidi esse vicini debebamus. Permitte tandem, ut pro bellorum rumoribus literarum denunciationes, pro tubarum sonitu præceptorum voces, pro tonitru tormentorum concentus Musici in Ecclesiâ scholisque audiantur, neq; togam Marte, libros clypeis, calamos hastis, convictores Commilitonibus, Musea contuberniis commutare amplius cogantur, qui nihil minus, quàm ista didicerunt. Liceat denique nobis sacras doctasq; Musas quieto rerum statu exosculari, & his ulnis, his manibus eas sustinere, quæ nos

olim æternum sustinebunt, & perpetuâ claritudine mactabunt, quibus & Ecclesiam tuam amplificare, & Reipublicæ prodesse, & sanctissimum Nomen tuum piè ac devotè celebrare possumus. Exaudies nos ob merita Unigeniti Filii tui Domini nostri JESU CHRISTI,

AMEN.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0636
DFG

LIPSIÆ,

Typis GREGORII Ritzsch.



ANNO

cIↃ IↃ C XXVIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0637
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0638
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0639
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn769055974/phys_0640
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0641
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0642
DFG

DE BEL

quantò majora in
ſolent, quippe ub
toris juſſum in mo
rò ſit eundum. Sed
eorumque officio,
ne, delectu, luſtrat
ratione, præſtatio
ti, aliiſque huc ſpe
generali hac co
tractari non poteſ
Vegetius, *Lipſius*, *Ob*
rus, & præcipuè *He*
vius Produx Cymbri
tiſſimo Comment
omnem laudem &
tionem excedente.

XXX. De Perſ
cialibus bellis mo
dem meritò nonn
niſi jam excreviſ
morum numerus;
de re autores citat

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
mm Inch
4.5 5.0 5.6 6.3
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769055974/phys_0643
DFG